K. SVENSKA VETENSKAPS AKADEMIENS HANDLINGAR, 2:dra Bandet N:o 4.

KAFFERLANDETS DAG-FJÄRILAR,

INSAMLADE ÅREN 1838—1845

AF

J. A. WAHLBERG,

BESKRIFNA

AF

H. D. J. WALLENGREN.

TILL K. VET. AKAD. INLEMNAD D. 10 MARS 1857.

Pris: 1 R:dr 75 öre.

STOCKHOLM, 1862. P. A. Norstedt & Söner.

KAFFERLANDETS DAG-FJÄRILAR,

INSAMLADE ÅREN 1838—1845

AF

J. A. WAHLBERG,

BESKRIFNA

AF

H. D. J. WALLENGREN.

TILL K. VET. AKAD. INLEMNAD D. 10 MARS 1857.

LEPIDOPTERA RHOPALOCERA,

IN

TERRA CAFFRORUM

ANNIS 1838—1845 COLLECTA

A

J. A. WAHLBERG,

DESCRIPSIT

H. D. J. WALLENGREN.

ACTA REG. ACAD. SCIENT. HOLM. SER. NOV. T. II N:O IV.

I. Fam. Papiliones.

Trib. EQUITES. (Lin.)

Gen. PAPILIO. (Lin.)

1. *P. brutus* (Fabr.): alis caudatis, albescente sulphureis, anticis supra margine autico et exteriore, hoc latissime, fuscis, macula coloris fundi in apice; posticis maculis fuscis, infra fascia media ejusdem coloris.

Papilio brutus Fabr. E. S. III. 1. 22. 65. God. Encycl. Meth. 1. 69. 122. Boisd. Fn. de Madag. p. 12. 1. Sp. Gen. I. 221. 39. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 585. 3.
Papilio merope Cram. Uitl. Kap. t. 378. fig. D. E. t. 151. fig. A. B.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. In Terra Natalensi. Delegorgue.

2. *P. lyæus* (Doubled.): alis posticis dentatis, ad angulum ani productis, omnibus supra nigris, fascia communi maculis 2—3 antice terminata, maculis apicis anticarum maculisque marginalibus posticarum coeruleo- virescentibus; posticis infra fascia continua intramarginali maculisque duabus in margine interiore albescentibus, anticis punctis marginalibus ejusdem coloris.

Papilio lyæus Doubled. Sp. of Diurn. Lepid. Boisd. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 585. 4.
Papilio nireus Cram. Uitl. Kap. t. 378. fig. F. G.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Delegorgue.

3. *P. demoleus* (Lin.): alis posticis dentatis; omnibus supra nigris, flavo-maculatis; posticis fascia flava subrecta, ocello anali dimidiatim coeruleo rufoque.

Papilio demoleus Lin. S. N. 2. 753. 47. Fabr. E. S. III. 1. 34. 101. Cram. Uitl. Kap. t. 231. fig. A. B. Boisd. Fn. de Madag. 12. 2. Sp. Gen. I. 237. 60. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 585. 2.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Delegorgue.

4. *P. polycenes* (Cram.) *Var:* alis posticis cauda valde elongata; omnibus supra nigrofuscis, fasciis duabus communibus, rectis, basalibus, fascia maculata latiore communi discoidali, extra cellulam anticarum valde curvata, maculisque intramarginalibus flavidis; anticis in cellula fasciis tribus rectis ejusdem coloris: omnibus infra fere ut

in pagina superiore, sed fasciis albis et fascia maculata communi cum maculis intramarginalibus fere cohærentibus et prope marginem anticum posticarum maculis duabus nigris divisa.

Papilio polycenes CRAM. Uitl. Kap. t. 37. fig. A. B. BOISD. Sp. Gen. I. 261. 84. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 586. 7.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. In Terra Natalensi. DELEGORGUE.

Specimen nostrum colore fasciarum paginæ superioris alarum a typo differt. Color earum minime virescens, sed flavidus, versus marginem anticum alarum anticarum fere rufus.

5. *P. anthemenes* n. sp. alis dentatis, supra nigris, ad basin grisescentibus, fascia lata communi albida, discum totum posticarum occupante, sed tantum ad cellulam atque costam quartam anticarum se extendente; anticis maculis 22 sparsis et posticis maculis 8 biseriatis albidis; omnibus infra rufo-brunneis, signaturis ut in pagina superiore. ♀. Long. al. exp. 98 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Forma alarum *P. leonidæ* (FABR.) similis. Alæ supra nigræ, ad basin grisescentes et ibi, præsertim posticæ, nitentes. Fascia communis alba, in flavedinem haud vertens, lata, discum totum posticarum occupat, ut tantum fasciam marginalem nigram relinquat; in anticis tantum ad cellulam et costam quartam se extendit. Limbus hujus fasciæ externus in alis posticis est haud crenulatus, sed in anticis inter costas 3—4 arcum sat magnum format. Alæ anticæ de cetero gerunt maculas albidas 22, ut sequitur: in cellula adsunt 4, quarum interior punctiformis, tertia elongata, dilatata atque maxima omnium, reliquæ subrotundatæ; maculæ 9 ad marginem seriatæ atque rotundatæ; inter eas et cellulam iterum 9, quarum maxima inter costas 5—6 et pone illam minima, punctiformis, in pagina superiore haud distinguenda, sed in pagina inferiore sat magna atque ovata; reliquarum quatuor inter costas 6—8 in quadrangulum positæ, maculis marginalibus magnitudine æquales; et ante costam octavam 2, quarum exterior major, et tandem in bifurcatione ejusdem costæ macula una. Alæ posticæ maculas 8 gerunt, quarum 5 sunt transversæ et prope marginem exteriorem locatæ, atque 3 intra eas, versus angulum ani positæ. Infra sunt fascia et maculæ alarum omnium ut in pagina superiore, sed color alarum de cetero rufo-brunneus, ad basin magis rufus. Color tamen alarum anticarum ad angulum posticum et usque ad costam 5, ut etiam in cellula circum partem posteriorem maculæ secundæ, est niger. Fascia alba alarum posticarum in limbo suo interno, ut etiam in limbo externo a trunco costarum superiore usque ad marginem alæ interiorem, nigra; hoc in loco etiam maculæ 4 albæ pone colorem nigrum observantur, quibus pagina superior alarum omnino caret. Maculæ 3 marginales, angulo anali proximæ, elongatæ, atque tam antice, quam postice nigro-terminatæ. Maculæ 2, angulo antico proximæ, arcum nigrum antice ostendunt; ad ipsum angulum ani macula alba triangularis, nigro-limbata, observatur.

Trib. PIERIDES. BOISD.

Gen. PONTIA BOISD.

1. *P. alcesta* (CRAM.): alis albis, anticis supra ad basin marginis anterioris lineolis abbreviatis, macula apicali sat magna, introrsum crenulata, maculaque discoidali rotundata nigris; posticis infra lineolis virescentibus irroratis serieque punctorum marginalium minutissimorum nigrorum.

Papilio alcesta CRAM. Uitl. Kap. tab. 379. fig. A.
Papilio narica FABR. E. S. III. 1. 187. 578.
Pieris narica GOD. Encycl. Meth. IX. 163. 149.
Pontia narica BOISD. Sp. Gen. I. 432. 3. Voy. de l'Afr. Austr. II. p. 586. 6.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. In Terra Amazulorum. DELEGORGUE.

Gen. PIERIS. SCHRANK.

1. *P. agathina* (CRAM.): alis supra albis, margine antico apiceque anticarum margineque exteriore omnium maculis rotundatis nigris notatis; anticis infra ad basin et in apice fulvis, posticis flavis, omnium margine exteriore nigro-maculato.

Papilio agathina CRAM. Uitl. Kap. t. 237. fig. D. E.
Pieris agathina BOISD. Sp. Gen. I. 511. 106. Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. 586. 17.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. Ad Portum Natal. DELEGORGUE.

2. *P. pigea* (BOISD.): alis anticis utrinque albis, maculis marginalibus minutis maculaque rotundata inter costas 3—4 nigris; posticis *maris* utrinque albis, *feminæ* utrinque ochraceis, serie punctorum nigrorum in disco, supra obsoletiorum.

Pieris pigea BOISD. Sp. Gen. I. 523. 124. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 586. 22.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. In Terra Amazulorum. DELEGORGUE.

Quamquam descriptio, a BOISDUVAL l. c. data, in nostra specimina non omnino quadrat, speciem tamen eandem esse putavimus. De maculis marginalibus nigris mentionem nullam fecit Auctor et specimen femineum nostrum maculam nigram tantum unicam in disco paginæ inferioris alarum anticarum gerit. Maculæ illæ marginales valde variant, ut in specimine femineo et infra et supra in quaque ala adsint, sed in mare tantum in pagina superiore alarum anticarum observentur.

3. *P. hellica* (LIN.): alis supra albis, anticis supra macula subquadrangulari discoidali apiceque albo-4-maculato, nigris; posticis infra griseo-virescentibus maculis 13 ovatis albis, quarum 2 ad basin, 5 fasciam per discum formant et 6 ad marginem exteriorem cum discoidalibus per striolas flavas cohaerent. ♂.

Papilio hellica LIN. Mus. Lud. Ulr. p. 243.
Papilio daplidice CRAM. Uitl. Kap. t. 171. fig. C. D. ♀.
Papilio rhaphani FABR. E. S. III. 1. 188. 579. OCHS. Schm. v. Eur. II. 154.
Pieris rhaphani DUP. Pap. de France. Suppl. pl. 5. f. 2.
Pieris hellica BOISD. Sp. Gen. I. 546. 156. Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. 586. 21.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. Ad Portum Natal. DELEGORGUE.

Pinacopteryx. n. gen.

(Pieris. *Boisd.*)

Antennæ mediocres, in clavam distinctam brevem, pyriformem, subito transeuntes, in speciminibus exsiccatis lateraliter compressam l. excavatam.

Caput latitudini thoracis fere æquale, inter oculos et sub antennas pilis rigidis, in cristas duas minutas ad oculos subacervatis, munitum.

Palpi compressi, porrecti l. adscendentes, divergentes, haud squamati, pilis longis rigidis, conniventibus infra instructi. Articulus basalis et intermedius normales, nec inflati, invicem longitudine æquales; hic versus apicem sensim attenuatus, ut fere sit conicus. Articulus ultimus intermedio haud brevior, gracilis, per totam longitudinem conformis, in apice subito acuminatus, pilis brevioribus infra instructus, e pilositate reliquorum progrediens.

Oculi nudi.

Pedes fere ut in genere præcedente, multo tamen breviores et tibiæ posticorum femoribus haud longiores.

Alæ integræ; anticæ subtriangulares, margine exteriore nonnihil exciso, ut apex sit acutior, quam in genere præcedente. Margo anticus alarum anticarum ad basin valde arcuatus, deinde fere rectus. Cellula alarum dimidiam partem alæ occupat, l. superat, anticarum oblique truncata, posticarum ad costam 5:tam subrotundato-angulata. Cellulæ omnes clausæ.

Costæ alarum posticarum 9, fere ut in genere præcedente orientes, sed ramulus, quem costa 1:ma in lobum basalem emittit, plus minus arcuatus, obliquus, simplex, apice versus marginem exteriorem spectans. Costæ alarum anticarum 9 ut in genere præcedente, sed costa 6:ta triramosa et costæ 7—8 e latere antico cellulæ orientes, nec rectæ et divergentes, sed arcuatæ et paralellæ; costa 8:va sæpe in marginem non excurrit, sed cum costa nona connectitur. Costa transversa cellulæ ad originem costæ 5:tæ valde arcuata et inter costam 4 et 5 oblique recta, interdum, modice arcuata. Costa 6:ta sola ex angulo antico cellulæ oritur.

I. *Costa 8:va alarum anticarum ad exitum cum costa 9:na connexa, ut areola auxiliaris ante cellulam fere formetur.*

1. *P. severina* (CRAM.): alis albido-sulphureis margine exteriore late nigro, anticis supra macula discoidali nigra maculisque apicalibus 3 albido-sulphureis; posticis supra maculis 2 ad angulum anticum albido-sulphureis; anticis infra ad basin flavis, macula discoidali ut in parte superiore maculisque marginalibus 6—7 flavidis; posticis infra maculis marginalibus 5, rotundatis, majoribus, flavidis, macula nigra ad marginem anticum, cum margine nigro exteriore linea connexa, costisque late nigro-marginatis. ♀.

   Papilio severina CRAM. Uitl. Kap. t. 338. fig. G. H.
   Pieris severina BOISD. Sp. Gen. I. 507. 101. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 586. 15.

   Hab. in Caffraria. WAHLBERG. Ad Portum Natal. DELEGORGUE.

2. *P. doubledayi* n. sp. alis *maris* supra albis, *feminæ* flavis; anticarum basi latissime griseo-fusco-nitente, margine exteriore late fasciaque abbreviata discoidali, cum margine antico cohærente, fuscis; posticarum margine exteriore late fusco, maculis coloris fundamentalis notato, maculaque discoidali fusca; anticis infra fere ut in parte superiore, sed margine exteriore maculis elongatis coloris fundi notatis; posticis serie arcuum, macula discoidali et fascia longitudinali in cellula fuscis, costisque nigris. Long. al. exp. 70 millim.

   Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

   Descr. Forma alarum priori similis, sed major. *Mas* alas supra albas gerit. Basis alarum anticarum nitens, late fusco-grisea, ut color ille fere totam cellulam, dimidiam partem marginis anterioris et tertiam partem marginis posterioris occupet. Ad finem cellulæ macula adest magna, nigro-fusca, cum margine antico cohærens, ut fascia abbreviata formetur. Apex alarum cum margine exteriore late fuscus, sed hic color ad marginem anticum multoties est latior, quam ad marginem interiorem; terminus ejus internus valde undulatus. Margo interior tenuissime fuscus. Inter costas 1—2 macula transversa fusca adest, cum margine costis illis nigris cohærens, ut macula rhomboidea alba formetur. Alæ posticæ, flavedine vix tinctæ, marginem exteriorem late fuscum gerunt, et ad finem cellulæ macula ejusdem coloris notantur. In colore marginis fusco et in margine ipso maculæ

5 ex

5 ex atomis fulvis acervatis, versus angulum analem majores, interdum obsoletiores, observantur, et versus limitem interiorem ejusdem coloris fusci maculæ albæ lunatæ et indeterminatæ adsunt, ut fascia fusca, cum colore marginali hinc inde cohærens, sæpe formetur. Alæ anticæ sunt infra magis flavidæ, ceteroquin fere ut in pagina superiore signatæ, sed colore baseos griseo plane carent et in ipso margine exteriore maculæ inter costas (versus apicem alæ elongatæ) flavæ et intra illas, cum illis tamen cohærentes, maculæ alteræ albidæ in apice alæ observantur. Macula fusca inter costas 1—2 obsoleta et atomis acervatis tantum indicata. Alæ posticæ infra flavidæ costis nigris; margo exterior maculas circum exitum costarum fuscas sat magnas et elongatas, arcus interruptos formantes, gerit, ut maculæ semirotundatæ flavæ includantur, et intra eas series, ad costam 4 interrupta, ex arcubus fuscis, maculas albas includentibus, composita, observatur. Inter costas 1—2 macula arcuata fusca, interdum obsoleta, et ad finem cellulæ macula major ejusdem coloris. Striga fusca longitudinalis ad truncum costarum inferiorem, cum macula illa cohærens, in cellula alba adest. Basis marginis antici flavissima. Cilia alarum fusca. Alæ *feminæ* utrinque flavæ, de cetero ut in mare coloratæ atque signatæ. Maculæ tamen, quas mas gerit albas, sunt apud feminam flavæ.

3. *P. mesentina* (CRAM.) alis albis, anticis puncto nigro discoidali maculaque magna nigra, apicali, maculis 5—6 albis, infra elongatis, notata; posticis margine nigro maculis 4—5 rotundatis albis, infra costis obscurioribus maculaque fusca ad marginem anticum. ♂.

Papilio mesentina CRAM. Uitl. Kap. t. 270. fig. A. B.
Papilio aurota FABR. E. S. III. 1. 197. 614.
Pieris mesentina BOISD. Sp. Gen. I. 501. 95. Voy. de l'Afr. par Deleg. II. 586. 16.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. DELEGORGUE. Specimen unicum, a Wahlberg reportatum, varietas est.

4. *P. westwoodi* n. sp. alis supra albis, anticis utrinque fascia abbreviata nigra ad finem cellulæ, maculaque magna apicali ejusdem coloris, sed maculis confusis, indeterminatis, biseriatis, albis, pagina inferiore confluentibus notata; posticis supra maculis marginalibus nigris; infra flavidis, costis, maculis marginalibus, serie arcuum strigaque longitudinali in cellula fuscis. ♀. Long. al. exp. 60 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Pagina superiore alarum speciei præcedenti, sed parte inferiore alarum posticarum *P. doubledayi* sat similis, apex tamen alarum anticarum acutior et margo exterior multo magis excisus, ut varietas *P. mesentinæ* haud esse possit. Alæ supra albæ, anticæ ad basin sat late argenteo-micantes. Margo anticus alarum anticarum a basi ad finem cellulæ late cinereus et deinde tenuissime niger. Ad finem cellulæ utrinque fascia arcuata, concavitatem versus basin vertens et cum colore cinereo baseos antice cohærens, nigra, sed abbreviata, ut supra truncum costarum inferiorem postice se vix extendat. Macula magna nigra supra in apice adest, a margine antico prope furcationem primam costæ 6:tæ usque ad marginem exteriorem prope exitum costæ 2:dæ se extendens. Maculæ biseriatæ albæ, indeterminatæ et confusæ in hac macula observantur; series nempe altera ex maculis 6 minutis rotundatis in margine ipso, per fasciam ex atomis nigris valde acervatis a serie altera macularum 5 majorum dividitur, ut intra maculas omnes albas fascia nigra valde dentata et inter maculas illas maculæ subrotundatæ ad exitum costarum etiam nigriores formentur. Ad exitum costæ primæ macula minuta ex atomis acervatis adest nigra. Alæ posticæ supra albæ ad exitum costarum maculas subovatas nigras et inter costas 3—4 maculam minutam triangularem ejusdem coloris gerunt. Alæ anticæ infra ad basin flavidæ; maculæ apicales albæ paginæ superioris flavedine haud tinctæ sunt sed confluentes, ut fascia, series macularum paginæ superioris separans, plane deficiat et costæ tantum dilatatæ fuscæ appareant. Alæ posticæ infra flavidæ, ad basin marginis anterioris flavæ, costas fuscas attamen minime dilatatas gerunt; ad exitum costarum maculæ marginales fuscæ, et intra illas series arcuum ejusdem coloris, sed ad costam 3 et inter costas 4—5 interrupta, omnino ut in *P. doubledayi* observantur. Ad finem cellulæ adest macula fusca, cum striga longitudinali ejusdem coloris, a basi excurrente, cohærens, omnino ut in specie memorata. Ad limbum internum trunci costarum communis paginæ inferioris striga altera longitudinalis ejusdem coloris adest, ut truncus ille flavidus bifurcatus in fuscedine lato appareat. Costa 8:va etiam flava, in striga fusca longitudinali apparens, quæ in margine exteriore excurrit. Inter costas 1—2 adest macula, ut in specie jam memorata. Costa prima dilatata, fusca.

II. *Costa 8:va alarum anticarum in marginem anticum, ut 7:ma, excurrit, nec cum 9:na connexa.*

5. *P. eriphia* (God.): alis supra fuscis, anticis maculis ovatis 5 prope marginem exteriorem, fascia abbreviata longitudinali in margine ipso antico a basi usque ad costam transversam cellulæ et deinde in discum oblique currente, fasciaque altera a margine interno prope basin usque ad costam 3 se extendente flavidis; posticis supra maculis minoribus fasciisque duabus transversis flavidis, infra flavidis fasciis tribus macularibus, fusco-brunneis, basique crocea. ♂.

Pieris eriphia God. Encycl. IX. 157. 134 Boisd. Sp. Gen. I. 513.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Obs. Specimen nostrum a typo tantum colore macularum fasciarumque flavido l. albido-sulphureo nec albo aberrat.

6. *P. simana* (Hpfr.) alis supra albis anticarum apice et punctis minutis marginalibus omnium nigris; anticis infra apice flavedine tincto; posticis infra flavidis basi marginis anterioris crocea, punctis marginalibus nigris serieque punctorum valde obsoleta. ♀. Long. al. exp. 60 millim.

Pieris simana Hopffer. Monatsber. d. Königl. Acad. d. Wiss. z. Berlin. 1855. p. 640. 3.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Descr. Forma alarum fere ut in mare *P. brassicæ,* margo exterior anticarum tamen magis excisus. Alæ omnes supra et alæ anticæ infra albæ. Alæ anticæ supra in apice sat tenue nigræ; margo ipse earum anticus tenuissime niger. Ad exitum costarum alarum omnium puncta minuta nigra. Alæ anticæ infra ad apicem late et ad marginem anticum tenue flavescentes; signaturis omnino carent. Alæ posticæ infra, ut alæ anticæ in apice, flavescentes. Margo earum anticus ad basin croceus. Margo earum exterior tenuissime flavus; ad exitum costarum puncta nigra, minuta quidem, sed nihilominus punctis paginæ superioris majora, observantur. In disco versus marginem eundem series transversa punctorum flavo-ferrugineorum, valde obsoleta, atomis fuscis hinc inde notata, adest.

7. *P. alba:* alis supra albis, anticis in summo apice infuscatis, infra in apice late flavidis; posticis infra flavidis, margine antico ad basin tenuissime croceo. ♂ ♀. Long. al. exp. 50 millim.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Descr. Præcedenti sat affinis, sed multo minor et margo exterior alarum anticarum magis excisus, ut apex earum acutior. Alæ supra albæ; apex summus anticarum atomis fuscis sat crebris, in femina tamen tantum linea marginali ejusdem coloris notatus. Pagina superior alarum signaturis de cetero omnino caret. Apex et margo anticus alarum anticarum ut in præcedente infra flavescentes. Alæ posticæ infra, ut in priore flavescentes, sed margo earum anticus ad basin magis tenue croceus. Series punctorum pone discum, etsi multo magis obsoleta, ut in priore, interdum observatur. Punctis marginalibus nigris omnino caret hæc species.

ANTHOPSYCHE. n. gen.

(*Anthocharis Auct.* ex parte.)

Antennæ breviores, in clavam oblongam sensim transeuntes. Clava speciminis exsiccati lateraliter compressa, interdum excavata.

Caput latitudine thoracis multo minus, inter oculos et sub antennas pilis rigidis cristam haud formantibus, villosum.

Palpi compressi, porrecti, apicibus nutantibus, squamati; articuli 2 basales infra pilis rigidis instructi; articulus ultimus nudus. Articulus basalis omnium longissimus, medius ultimo longior, ultimus minutus, conicus, apice acuto, e pilositate reliquorum porrectus.

Oculi nudi.

Pedes invicem conformes; femora infra tantum ad basin pilis brevibus sed densis hirsuta. Proportio articulorum tarsorum ut in genere *Anthocharidis.*

Alæ plerumque rotundatæ; anticæ tamen interdum magis elongatæ, haud acutæ. Margo anticus alarum anticarum ad basin valde arcuatus et deinde modice convexus. Alæ posticæ infra ad basin pilos nullos gerunt, sed margo earum anticus pilis densis etsi brevissimis est instructus. Cellula discoidalis brevis, tertiam tantum partem alæ occupat; cellula alarum posticarum abrupte truncata. Cellulæ alarum omnium clausæ.

Costæ alarum posticarum ut in *Anthocharide* 9, sed costa 1:ma ramulum obliquum, rectum, simplicem, apicem versus marginem exteriorem vertentem, in lobum basalem emittit; costa 2:da e latere antico cellulæ, fere in medio inter costam primam et tertiam, et costa 3:tia cum quarta interdum ex eodem loco (angulo antico cellulæ), sæpe trunco brevissimo conjunctæ, oriuntur. Costæ alarum anticarum 10: 1—5 ut apud *Anthocharidem,* sed 6—7 ex angulo antico cellulæ eodemque loco, sæpe trunco brevissimo conjunctæ, et 8—9 e latere antico cellulæ (illa procul a costa 7:ma et costæ 9:næ proxima) oriuntur. Costa 7:ma biramosa; ramuli ejus sat longi, in apicem excurrentes. Costa transversa cellulæ discoidalis per totam longitudinem suam arcuata, convexitatem versus basin alæ vertens.

I. *Costæ 3—4 alarum posticarum ex eodem loco cellulæ egredientes, sæpe trunco brevi conjunctæ.*

1. *A. achine* (Cram.): alis anticis apice subacuminato; omnibus supra albis, fascia longitudinali nigra, marginem internum alarum anticarum marginemque anticum alarum posticarum tegente, sed tantum partem posticam cellulæ alarum anticarum velante; apice anticarum macula magna triangulari nigra, maculis 6 elongato-ovatis, rufo-fulvis notata; posticarum margine exteriore maculis nigris confluentibus notato, fasciaque transversa lata nigra pone discum; omnibus infra albis, anticis fascia apicis transversa fulva punctoque centrali nigro, posticis fascia transversa angulata, interrupta, ferruginea maculaque fulva centrali, puncto nigro notata. ♂. Long. al. exp. 47. millim.

Papilio achine Cram. Uitl. Kap. t. 338. fig. E. F. ♀.
Pieris achine God. Encycl. IX. p. 122. 13.
Anthocharis achine Boisd. Sp. Gen I. 574. 21. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 587. 25.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Delegorgue.

2. *A. omphale* (God.): alis anticis rotundatis; omnibus supra albis fascia longitudinali nigra, marginem internum alarum anticarum marginemque anticum posticarum tegente,

sed cellulam anticarum fere totam velante; anticis apice macula magna triangulari nigra, *maris* maculis 6 elongatis fulvis, introrsum truncatis, extrorsum rotundatis, *feminæ* maculis 4 fulvis, minutis, subtriangularibus notatis; posticis apud *marem* margine exteriore maculis nigris confluentibus fasciaque transversa nigra lata per discum, striam versus nigredinem baseos marginis anticis emittente; apud *feminam* margine externo latissime nigro, maculis albis indistinctis intersecto; omnibus infra apud *marem* ut in præcedente, apud *feminam* flavidis, fascia transversa distinctiori communi exituque costarum nigro. ♂ ♀. Long. al. exp. 46—50 millim.

Pieris omphale God. Encycl. IX. 122. 12.
Anthocharis omphale Boisd. Sp. Gen. I. 574. 22. Voy. de l'Afr. Austr. II. 587. 26.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. In Terra Amazulorum. Delegorgue.

Var. ♀ alis supra sulphureis; de cetero ut in priore.

Femina punctum centralem nigrum in quaque ala gerit et nigredo marginis interioris alarum anticarum strigam in nigredinem apicis emittit.

3. *A. evenina* n. sp. alis rotundatis, omnibus supra albis; anticis a basi supra cellulam late nigris, sed atomis densis albido-griseis adspersis, margine exteriore nigro, macula magna apicis aurantiaco-flava, extrorsum dentata et striga transversa nigra per medium dissecta, maculaque nigra in margine interno; posticis margine exteriore late nigro maculaque ejusdem coloris in margine antico; anticis infra fascia apicali rufo-fulva, posticis striga interrupta ejusdem coloris. ♀ Long. al. exp. 43 millim.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Specimen unicum.

Descr. Anthoch. theogonæ Boisd. affinis, sed diversa et vix ejus varietas. Alæ supra albæ; spatium anticarum totum a basi supra cellulam nigrum, atomis albido-l. flavo-griseis dense obsitum; limes hujus spatii exterior est valde irregularis: a margine antico usque ad angulum anticum cellulæ arcum obliquum, haud determinatum, deinde ad costam 4:tam arcum alterum, sat determinatum format, inter costas 2—4 est truncatus et a costa 2:da ad marginem internum oblique et nonnihil undulatus currit, ut spatium longitudinem suam maximam super truncum communem costarum inferiorem, nec ad margines alarum habeat. Inter marginem interiorem et costam 2:dam alarum anticarum macula sat magna, quadrangularis, nigra, cum nigredine baseos non cohærens, observatur. Margo anticus tenuissime sed margo exterior late niger, ut limbus, ad exitum costæ 2:dæ desinens, formetur. De cetero macula aurantiaco-flava apicem totum occupat, quæ macula striga transversa arcuata nigra, a margine antico usque ad costam 3:tiam sese oblique extendente, est dissecta, ut maculæ 5 inæquales, extrorsum acutæ, introrsum oblique truncatæ et invicem costis nigris separatæ, a colore reliquo sejungantur; ab apicibus harum macularum lineolæ flavidæ prope costas in limbum emittuntur. Alæ posticæ albæ, ad basin atomis crebris grisescentibus et ad marginem anticum macula nigra, maculæ marginis interioris anticarum respondente, ornatæ. Margo earum exterior late niger. Spatium basale obsolete nigrum et colore griseo multo magis indutum, macunigra laque marginis interioris etiam infra in alis anticis observatur. Apex alarum anticarum infra flavus fascia rufo-fulva, ad costam 4:tam angulata et ad costam 3:tiam desinente, notatur. Alæ posticæ infra pallide flavæ margine anteriore ad basin saturatiori atomisque cinereis, a basi usque ad discum et secundum marginem interiorem conspersæ. Fascia sat obsoleta, rufo-fulva, valde angulata et inter costas 4—5 interrupta, ut in congeneribus. Puncto discoidali nigro hæc species utrinque caret.

4. *A. procne* n. sp. alis anticis subacuminatis, omnibus supra albis fascia longitudinali fusca, marginem internum alarum anticarum margineınque anticum posticarum tegente, sed cellulam alarum anticarum non attingente; anticarum margine antico tenuissime sed margine exteriore latius fuscis, fasciaque arcuata e maculis inæqualibus 8 fulvis inter marginem exteriorem et fasciam disci abbreviatam fuscam; posticis supra maculis marginalibus fasciaque valde angulata fuscis, infra macula centrali fulva, puncto nigro

adnata, atomis crebris griseis sparsis fasciaque valde angulata ferruginea. ♀. Long. al. exp. 40 millim.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Descr. Species forma alarum *A. achinæ* sed fascia fulva apicali alarum anticarum *A. omphalæ* simillima, attamen minor et ab ambabus sat diversa. Alæ supra albæ; anticæ, ut in *A. achine*, ad marginem internum et posticæ ad marginem anticum fasciam longitudinalem gerunt fuscam, sed hæc fascia multo magis tenuis, quam in specie memorata, ut tantum ad basin ipsam alæ cellulam anticarum tegat et deinde spatium sat amplum inter se et cellulam relinquat, sic etiam marginem internum anticarum totum non tegit, sed versus finem ab illo se magis in albedinem retrahit. Margo anticus, apex et margo exterior alarum anticarum fusci, ille vero tenuissime; limbus hic fuscus marginis exterioris ut in specie præcedente angulum posticum alæ non attingit. Intra limbum illum fascia, e maculis 8 fere æqualibus, arcuata fulva observatur. Maculæ sunt extrorsum rotundatæ et introrsum arcuatæ et a margine antico usque ad medium inter costas 3—4 per fasciam sat latam fuscam terminatæ, sed deinde colori fundamentali sine termino alio adnexæ. Alæ posticæ maculas rotundatas fuscas, non confluentes, ad marginem posticum et fasciam ejusdem coloris, gracilem et angulatam, ut in congeneribus gerunt. Alæ anticæ infra albæ, sed apex earum flavidus macula transversa rufo-fulva instructus. In costa 2:da ceteroquin observatur macula fusca obsoleta, fini fasciæ marginis interioris in pagina superiore respondens. Alæ posticæ infra griseo-albæ atomis densis griseis obsitæ, fasciaque ut in *A. achine* instructæ; ad finem cellulæ maculam flavido-fulvam, puncto nigro notatam gerunt. Alæ omnes puncto centrali nigro de cetero carent.

5. *A. phlegetonia* (Roger): alis rotundatis, supra albis fascia longitudinali nigra, marginem internum alarum anticarum marginemque anticum posticarum tegente et dimidiam partem cellulæ alarum anticarum fere velante; anticarum margine antico sat tenue, sed margine exteriore latius nigris, maculaque fulva apicali, extrorsum valde dentata et macula postica nigra, cum nigredine marginis exterioris cohærente; posticis fascia lata nigra ad marginem exteriorem; omnibus infra puncto centrali punctisque intramarginalibus nigris. ♂. Long. al. exp. 35 millim.

Anthocharis phlegetonia Roger apud Boisd. in Sp. Gen. I. 576. 25.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Obs. Descriptio *Boisduvali* in specimen nostrum non omnino quadrat. Macula nigra in parte posteriore maculæ apicalis fulvæ in medio inter costas 4—5 desinit; strigæ longitudinales albæ in fascia postica alarum posticarum plane desiderantur; basis alæ anticæ, ut fundus ipse, est infra alba et fascia marginis interioris in pagina superiore ejusdem alæ etiam infra observatur, etsi obsoleta et griseo-tincta. Specimen nostrum specimine *Boisduvali* etiam minus.

6. *A. gavisa* n. sp. alis anticis subacuminatis; omnibus supra albis fascia longitudinali nigra, marginem internum alarum anticarum marginemque anticum posticarum tegente, cellulam alarum anticarum latitudine sua non attingente; anticis puncto discoidali nigro, margine antico atque exteriore fere æqualiter nigris maculaque maxima rufo-fulva in apice, introrsum striga nigra, obliqua terminata; posticis ad exitum nigrum costarum maculis trigonis nigris; omnibus infra albis puncto centrali exituque costarum nigris. ♂. Long. al. exp. 53 millim.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Descr. Magnitudo et forma alarum fere *Th. annæ*. Alæ supra albæ; anticæ fasciam longitudinalem, a basi exeuntem, ad marginem internum et posticæ ad marginem anticum, ut in congeneribus jam descriptis gerunt, sed hæc fascia, ut in *A. procne*, sat gracilis est, ut tantum basin alarum anticarum tegat et deinde spatium sat amplum inter se et cellulam album relinquat, atque versus finem a margine ipso interno se retrahat. Ad finem cellulæ alarum anticarum adest punctum nigrum. Margo anticus et margo totus exterior harum alarum etiam est niger, hic tamen illo vix latior. In apice adest macula magna rufo-fulva, e maculis 6 valde elongatis, inæqualibus, 3 anterioribus extrorsum acuminatis, 3 posterioribus ibi subrotundatis, composita et a colore fundamentali striga obliqua, continua,

sat tenui, nigra introrsum divisa. Hæc striga in marginem erteriorem ad costam 3:tiam excurrit. Alæ posticæ in margine exteriore maculas trigonas, extrorsum confluentes, circum exitum nigrum costarum gerunt. Alæ omnes infra albæ; anticæ punctum minutum, discoidalem, nigrum, in apice flavido maculam fulvam et inter costas 1—2 maculam cinereo-fuscam, fini fasciæ longitudinalis paginæ superioris respondentem, ostendunt. Posticarum margo anticus ad basin fulvido-flavus, ut etiam macula discoidalis, puncto nigro adnata. Exitus costarum alarum omnium hac in pagina niger, anticarum fere maculiformis.

II. *Costæ 3—4 alarum posticarum e locis diversis cellulæ, sæpe tamen sat approximatæ, egredientes.*

7. *A. eupompe* (Klug). *Femina:* alis supra albis, ad basin late griseis, macula magna apicali rufa, serie angulata macularum nigrarum, per discum continuata usque ad angulum ani posticarum, intersecta, margine exteriore anticarum continuo nigro, posticarum maculis fuscis notato, punctoque discoidali anticarum fusco; omnibus infra serie repente macularum ferruginearum, argenteo-subnotatarum, punctoque discoidali anticarum nigro, posticarum argenteo, ferrugineo-circumcincto. Long. al. exp. 43 millim.

Anthocharis eupompe Klug. Symbolæ Phys. t. 6. fig. 11—14. Boisd. Sp. Gen. I. 571. 17.
Papilio evippe Cram. ♀ Uitl. Kap. t. 91. fig. D. E.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

8. *A. danæ* (Fabr.): alis supra albis, ad basin cinerascentibus, anticis macula magna triangulari, apicali, coccinea, introrsum fascia obliqua, transversa, nigro-fusca terminata, margine exteriori tenui punctoque discoidali nigro-fuscis; omnibus infra puncto discoidali ferrugineo, posticarum tamen flavo-pupillato, serieque repente, communi macularum ferruginearum, argenteo-subnotatarum, punctisque marginalibus nigris. ♂. Long. al. exp. 50 millim.

Papilio danæ Fabr. Syst. Ent. 476. 144. E. S. III. 1. 203. 635.
Pieris danæ God. Encycl. Meth. IX. 124. 20.
Anthocharis danæ Boisd. Sp. Gen. I. 570. 16. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 587. 24.
Papilio eborea Cram. Uitl. Kap. t. 352. fig. C. D. E. F.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. In Terra Amazulorum. Delegorgue.

9. *A. evarne* (Klug). *Mas:* alis pallide sulphureis, anticis supra macula magna apicali aurantiaca, margine antico atque exteriore nigro; posticis maculis minutis intramarginalibus nigris, infra puncto minutissimo discoidali nigro, omnibus serie punctorum minutissimorum nigrorum in margine exteriore. Long. al. exp. 50 millim.

Femina: alis supra sulphureo-albidis, anticis supra macula apicali pallide aurantiaco-flava, margine antico atque exteriore, macula discoidali serieque maculata et angulata in macula apicali nigris; posticis maculis magnis intramarginalibus fasciaque maculata, interrupta, angulata, tenui per discum nigris; anticis infra macula discoidali nigra, flavido-pupillata serieque maculata ut in pagina superiore; posticis fascia obsoleta ferruginea; omnibus infra serie punctorum minutissimorum nigrorum in margine exteriore. Long. al. exp. 44 millim.

Pontia evarne Klug. Symbolæ Phys. t. 6. f. 1—4.
Anthocharis evarne Boisd. Sp. Gen. I. 569. 15.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. In Terra Amazulorum. Delegorgue.

10. *A. eucharis* (FABR.) *Mas:* alis supra albis, basi cinerascentibus, anticis macula apicali aurantiaca, macula rotundata nigra inter costas 3—4 notata, maculisque trigonis marginalibus, confluentibus, nigro-fuscis; posticis supra punctis nigris marginalibus; omnibus infra puncto discoidali nigro minutissimo, anticis apice sulphurescente, fascia sinuata fusca notato, posticis atomis fuscis sparsis strigaque abbreviata ejusdem coloris in medio marginis antici. Long. al. exp. 35 millim.

Papilio eucharis FABR. E. S. III. 1. 195. 605.
Papilio aurora CRAM. Uitl. Kap. t. 299. fig. A. B. C. D.
Anthocharis eucharis BOISD. Sp. Gen. I. 568. 14.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Obs. Hoc in loco specimen femineum, a WAHLBERG in Caffraria captum, est memorandum. Alæ supra sunt albæ; anticæ in margine antico atque exteriore fuscæ, maculam discoidalem nigram et apicalem aurantiaco-flavam, serie transversa et sinuata macularum nigrarum notatam, gerunt. Alæ posticæ ad marginem exteriorem maculas fuscas rotundatas ostendunt. Alæ anticæ infra maculam in disco et seriem macularum ut in pagina superiore gerunt; apex est flavo-grisescens lineolis obscurioribus dense notatus. Alæ posticæ incarnatæ lineolis obscurioribus dense obsitæ, et fasciam angulatam, brunneam, haud determinatam per discum gerunt. Ad finem cellulæ macula alba observatur et margo exterior alarum omnium punctis minutissimis nigris notatur. Specimen forsitan varietas tantum feminea præcedentis. Long. al. exp. 42 millim.

11. *A. agoye**) n. sp. *Mas:* alis supra albis atomis rarioribus sparsis costisque nigris; anticis macula apicali, aurantiaco-fulva, a disco fascia atomorum acervatorum nigrorum separata. Long. al. exp. 44 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. *Anth. subfasciatæ* (SWAINS.) similis, sed haud ejus mas. Alæ anticæ apice sat acuto. Omnes supra albæ, certo situ flavido-nitentes, atomis nigris rarioribus, in anticis hinc inde magis acervatis, adspersæ. Costæ nigræ. Anticæ maculam triangularem, auratiaco-fulvam, apicalem, sed multo minorem quam in congeneribus gerunt. Fascia, atomis nigris acervatis formata, et a margine antico usque ad marginem exteriorem inter costas 3—4 oblique se extendens atque in medio subinterrupta, hanc maculam introrsum terminat, sed margo exterior et anticus ad maculam illam haud infuscatus, et ille pone costam 3:tiam totus albus. Alæ omnes sunt infra albæ costis concoloribus. Omnes puncto centrali nigro utrinque carent. Cilia alba, ad apicem anticarum supra grisescentia.

12. *A. eris* (KLUG.) *Mas:* alis anticis supra nigris macula magna ovata alba, discum totum a basi occupante, apiceque fusco, maculis 5 rubris notato; posticis supra albis margine antico nigro; omnibus infra albis, anticis maculis nonnullis nigris ad angulum posticum notatis. ♂. Long. al. exp. 53 millim.

Pontia eris KLUG. Symbolæ Phys. t. 6. f. 15. 16.
Pieris eris BOISD. Sp. Gen. I. 514. 111.
Anthocharis eris BOISD. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 587. 28. REICHE. Voy. en Abyss. p. Ferret etc. p. 460. pl. 31. f. 133 ♂. 2 ♀.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. In Terra Amazulorum. DELEGORGUE.

13. *A. jone* (GOD.) *Mas:* alis supra albis, anticis basi canescentibus, costis nigris maculaque apicali magna ejusdem coloris, maculis 5—6 elongatis, costis intersectis, violaceo-micantibus notata, punctoque discoidali nigro ♂. Long. al. exp. 68 millim.

Pieris jone GOD. Encycl. IX. 140. 74. BOISD. Sp. Gen. I. 515. 112.
Anthocharis jone BOISD. Voy. de l'Afr. Austr. II. 587. 28. REICHE. Voy. en Abyss. p. Ferret et Galinier p. 457. pl. 30. f. 1—2 ♂. 5—8 ♀.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. Ad Portum Natal. DELEGORGUE.

---

*) Nomen dei guineensis.

14. *A. speciosa* n. sp.: alis supra albis, basi grisescentibus, anticis costis concoloribus maculaque apicali magna nigra, maculis 4 cyaneis, quadrangularibus ornata, punctoque discoidali nigro. ♂. Long. al. exp. 58 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Præcedenti hæc species nostra est similis, sed re vera distincta et femina, a BOISDUVAL sub *Anthoch. jone* in Voy. par DELEGORGUE memorata, ad hac speciem forsitan referenda. Forma alarum anticarum brevior et apex obtusior, quam in specie priori. Basis alarum multo latius grisescens, quam in priore, et alæ posticæ juxta abdomen atomis ejusdem coloris sunt obsitæ. Magnitudo etiam minor, et forma macularum apicalium alia. Color alarum utrinque albus, sed costæ anticarum, quæ a cellula usque ad marginem apud speciem præcedentem sunt nigræ, in specie nostra albæ, posticarum tantum nigræ. Alæ anticæ punctum discoidalem nigrum utrinque gerunt. Macula triangularis magna, nigra, a margine antico usque ad marginem exteriorem prope exitum costæ 2:dæ se extendens, apicem totum alarum anticarum occupat. In hac macula adsunt maculæ 4 cyaneæ, quæ multo sunt breviores, quam in specie præcedente, ut nigredo magis dominetur. Forma earum est quadrangularis, introrsum et extrorsum truncata. Macula harum antica minima et secunda a margine antico maxima. Alæ posticæ omnino ut in specie præcedente maculis nigris ad exitum costarum ornantur. Alæ anticæ infra sunt albæ, in apice griseo-flavæ; posticæ tamen magis flavo-albidæ et in margine antico ad basin, ut in specie præcedente, croceæ. In medio ejusdem marginis maculam fuscam et in disco punctum ejusdem coloris gerunt.

Gen. THESTIAS. BOISD.

1. *Th. annæ* n. sp. alis supra albis, basi late glaucis, margine exteriore anticarum graciliore, nigro, maculaque rufo-fulva, apicem occupante, a disco per fasciam latam et rectam, nigram separata; omnibus infra albis macula discoidali nigra, posticarum fulvo notata, serie undulata communi macularum fuscarum exituque costarum nigro. ♂. Long. al. exp. 70 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Affinitatem proximam cum *Th. marianna* CRAM. habet hæc nostra species, differt tamen fascia nigra, maculam fulvam apicis introrsum terminante, recta nec ut in illa excisa et angulata, et colore signaturisque paginæ inferioris alarum etc. Alæ supra albæ, ad basin latissime glaucæ, ut color albus tantum ut fascia se præbeat. Margo anticus et exterior alarum anticarum tenuissime niger, nec late niger ut in specie memorata. Macula magna triangularis rufo-fulva, in maculas 8 elongatas, extrorsum obsolete rotundatas, per costas divisa, apicem totum anticarum occupat, et a disco albo per fasciam latam rectam nigram sejungitur. Hæc fascia se extendit a margine antico usque ad marginem exteriorem inter costas 1—2, quo loco versus marginem interiorem se vertit, ut angulus posticus sit latius niger, quam margo exterior ante costam 2:dam, ubi macula fulva desinit. Margo exterior alarum posticarum late niger, per exitum nigrum costarum introrsum dentatus. Alæ omnes infra albæ, ad basin glaucæ, qui color fascia angulata fusca per discum alarum anticarum terminatur, sed in posticis sine termino distincto in colorem fundamentalem sensim transit. Ad finem cellulæ alarum omnium macula nigro-fusca, in anticis rotundata, in posticis lunata et in medio fulvo-notata. Extra cellulam series communis repanda macularum fuscarum l. fusco-ferruginearum, in anticis ad costam 5:tam angulata. Maculæ omnes cæcæ. Hæc series per maculam transversam, fulvam, indeterminatam inter costas 3—8 alarum anticarum currit; apex late albus, flavedine haud tinctus. Exitus costarum niger, ad costas 1—3 alarum anticarum maculis nigris, sat magnis, ovatis notatus. Margo anticus alarum posticarum ad basin flavus.

Gen. DRYAS. BOISD. *).

(Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. 588).

Antennæ breviores, extrorsum sensim crassiores, ut clava elongata, haud determinata, apice rotundato formetur.

*) *Boisduval* diagnosin hujus generis nullam l. c. dedit, nec alio loco notas characteristicas reperimus, ut speciem nostram huc pertinere nobis incertum sit, quare notas genericas, a specimine nostro mutuatas, hic proposuerimus.

Palpi,

Palpi longitudine capitis, squamosi, lateraliter compressi, infra pilis longioribus, divaricatis instructi. Articulus basalis omnium longissimus, reliquis conjunctis fere longior; articulus 2:dus ultimo duplo longior l. ultra, subquadratus, ab articulo basali haud distinguendus; articulus ultimus minutissimus, nudus, conicus, pilis articulorum reliquorum multo brevior.

Oculi nudi. *Caput* inter oculos villosum, infra antennas fasciculos 2 graciles gerit.

Pedes graciles, femoribus infra pilosis et tibiis distincte crassioribus. Proportio articulorum tarsorum ut in genere sequente.

Alæ delicatulæ, forma earum fere ut in *Callidryade,* sed margo exterior versus apicem nonnihil excisus et dehinc nonnihil convexus, fere ut in genere *Eronia.* Margo anticus alarum posticarum nudus et margo exterior undulatus. Cellulæ alarum clausæ.

Costæ alarum posticarum 9 omnino ut in genere sequente, sed costæ 3 et 4 e diversis locis cellulæ fere ut in *Callidryade* egrediuntur. Costæ alarum anticarum 10, fere ut in genere sequente orientes, sed costa 7:ma triramosa et ad basin a costa 6 magis separata. Plica incrassata alæ posticæ omnino carent.

1. *D. wahlbergi* n. sp. alis *maris* supra sulphureo-flavis, *feminæ* albido-flavis, anticis apice fusco maculaque magna triangulari fulvida, maris saturatiore, spatium inter apicem et discum occupante; anticis infra punctis 2 apicalibus argenteis, ferrugineo-circumcinctis, posticis lineolis abbreviatis maculisque sparsis ferrugineis et maculis nonnullis argenteis. ♂ ♀. Long. al. exp. 80 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. D. ledæ BOISD. Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. 588. 30. secundum descriptionem simillima, sed differt apice alarum anticarum fusco, colore maculæ apicis etc.

Mas. Alæ supra læte sulphureo-flavæ; anticæ ad apicem a margine antico usque ad costam 4:tam fuscæ, sulphureo-pulverulentæ; inter hunc colorem et cellulam spatium alæ est fulvum, ut macula, a margine antico ad exitum costæ 2:dæ oblique extensa, formetur. Alæ omnes sunt infra sulphureo-flavæ, punctisque minutissimis nigris intramarginalibus instructæ. Anticæ ad apicem puncta 2 argentea, ferrugineo-circumcincta, maximum inter costas 6—7 et minimum inter costas 7—8, punctumque nigrum minutissimum ad finem cellulæ gerunt. Alæ posticæ lineolis abbreviatis maculisque minutissimis ferrugineis, et ad marginem anticum macula majore ejusdem coloris sunt ornatæ; lineolæ et macula marginis anterioris sunt obscuriores. Punctum argenteum obscure ferrugineo-circumcinctum, inter costas 7—8 in medio inter cellulam et marginem exteriorem observatur.

Femina mari similis, sed color alarum in pagina superiore albidior maculaque anticarum magis flava, in fulvedinem haud vertens. Limbus apicis fuscus latior et in limite ejus maculæ 4 rotundatæ observantur. Infra ut in mare, sed apex alarum anticarum lineolas abbreviatas, minutissimas, obscure ferrugineas, ut alæ posticæ, gerit. In his macula magna, lineolis atomisque acervatis formata, ad marginem exteriorem inter costas 3—5 se præbet et in ea maculæ duæ argenteæ, maxima rotundata alteraque elongata observantur. De cetero macula ejusdem coloris inter costas 5—6 et altera inter costas 7—8, ambæ ferrugineo-circumcinctæ, se præbent.

PTYCHOPTERYX. n. gen.

Antennæ breviores, clavam obovatam, determinatam, obtusam, constituentes.

Palpi capite multo breviores, squamosi, lateraliter compressi, infra pilis brevissimis densis instructi; articulus medius longissimus et basalis brevissimus omnium; articulus medius apice truncatus; articulus ultimus nudus, gracillimus, brevis, pilis reliquorum haud superans, attamen sat distinctus.

Oculi nudi. *Caput* inter antennas villosum.

Pedes graciles, femoribus haud pilosis et tibiis haud crassioribus; proportio articulorum fere ut in genere sequente.

Alæ robustæ; forma earum ut in genere sequente, sed posticæ in margine antico versus basin pilis sat longis instructæ. Margo exterior harum alarum integer l. tantum lævissime crenelatus. Cellulæ omnes clausæ.

Costæ alarum posticarum 9, ut in genere sequente, sed costa 1:ma multo magis arcuata atque brevior, in marginem anticum nec in angulum anticum alæ excurrens, et in lobum basalem ramulum brevem reflexum*) emittens; costa 2:da e medio lateris anticis cellulæ valde arcuata, egreditur, et in angulum anticum alæ excurrit; costæ 3—4 ex angulo antico cellulæ eodemque fere loco oriuntur; costa itaque nulla e costa transversa cellulæ egreditur. Plica recta, valde incrassata currit a basi per longitudinem totam cellulæ et inter costas 4—5 usque ad marginem exteriorem, qua omnino caret *Callidryas*. Costæ alarum anticarum 10, nec 9, ut in genere memorato: 1—5 ut in hoc genere, sed 6—7 ex angulo antico cellulæ, illa simplex, hæc tamen biramosa; 8—9 e latere antico cellulæ ad basin invicem sat approximatæ, et 10 e basi alæ oriuntur. Ramulus anticus costæ 7:mæ in marginem anticum et ramulus posticus in marginem exteriorem excurrunt.

1. *P. bohemani* n. sp. alis supra albido-flavis, anticis saturatoribus, apice late nigro-fusco, maculis 5 fulvescentibus intersecto, punctoque discoidali nigro; posticis infra lineolis numerosissimis, abbreviatis, pallide griseo-rufis, strigaque longitudinali saturatiore ad plicam. ♂ ♀. Long. al. exp. 60 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Antennæ albido-rufescentes; clava infra et in apice fulvescens. Palpi albi. Caput cum thorace griseum. Abdomen album linea dorsali nigra. Pedes cum pectore albi.

Mas. Alæ anticæ supra pallide albido-flavæ. Margo anticus tenuissime, apex et margo exterior usque ad costam 3:tiam latius nigro-fusci; inter costas 4—8 maculæ rhomboideæ, fulvescentes, sat magnæ, costis nigris invicem separatæ, et intra illas a margine usque ad costam 4:tam macula sat lata nigra, cum fuscedine marginis exterioris per atomos acervatos nigros ad costam 4:tam cohærens, se extendit, ut macula magna trigona, nigro-fusca, maculis fulvis intersecta, in apice alæ formetur. Ad costam transversam cellulæ punctum l. macula elongata nigra. Alæ posticæ supra pallidiores, macula nigra in margine antico notatæ. Alæ omnes sunt infra albæ; anticarum apex lineolas abbreviatas, nonnullas, pallide rufo-griseas gerit. Alæ posticæ etiam lineolas ejusmodi numerosissimas ostendunt, ut hac in re species nostra *C. florellæ* sat similis sit, sed plica crassa, longitudinem alæ secans, colore rufo-griseo sat saturate est notata. Cilia supra flavida, infra alba.

Femina mari simillima, sed color fuscus apicalis alarum anticarum latior et maculæ fulvescentes saturatiores. Macula in margine artico alarum posticarum plane caret.

Gen. CALLIDRYAS. BOISD.

1. *C. rhadia* (BOISD.): alis flavo-sulphureis, supra maculis marginalibus fuscis, in anticis limbum formantibus; anticis ad finem cellulæ macula rotundata nigra et versus apicem striga undulata, obsoleta, ferruginea; omnibus infra lineolis abbreviatis strigaque maculata anticarum abbreviata, ferrugineis; anticis ad finem cellulæ macula argentea, ferrugineo-circumcincta, posticis eodem loco maculis 3 argenteis, ferrugineo-cinctis, inæqualibus ♀.

Callidryas rhadia BOISD. Sp. Gen. I. 617. 11. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 588. 34.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. Ad Portum Natal. DELEGORGUE.

---

*) Rhopalocera Scandinaviæ a WALLENGREN p. 62.

2. *C. florella* (Fabr.): alis supra albis, anticis puncto discoidali nigro; omnibus infra flavo-griseis, lineolis abbreviatis, numerosissimis, obscurioribus punctoque discoidali argenteo, rufo-fusco circumcincto. ♂.

Papilio florella Fabr. E. S. III. 1. 213. 666 ♀.
Callidryas florella Boisd. Sp. Gen. I. 608. 2. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 588. 33.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Ad Portum Natal. Delegorgue.

Gen. COLIAS. Fabr.

1. *C. electra* (Lin.): alis supra rufo-fulvis margine late fusco, anticarum introrsum valde sinuato, feminæ fulvo-maculato; anticis macula discoidali nigra; posticis subtus totis margineque anticarum virescentibus, his serie intramarginali macularum fuscarum, illis maculis 2 discoidalibus, minutis, rotundatis, argenteis. ♂ ♀.

Papilio electra Lin. S. N. 2. 764 101.
Papilio palæno ♀ Cram. Uitl. Kap. t. 340. fig. A. B.
Colias electra Boisd. Sp. Gen. I. p. 637. 3. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 588. 35.

Hab. i Caffraria. Wahlberg. Ad Portum Natal. Delegorgue.

Gen. TERIAS. Swains.
(*Xanthidia* Boisd.)

1. *T. drona* (Horsf.): alis læte flavis, supra ad basin atomis nigris; anticis supra limbo lato, nigro, introrsum denticulato, marginem anticum, apicem et marginem exteriorem occupante; posticis supra in margine postico limbo ejusdem coloris, ad angulum anticum latissimo; omnibus infra pallidioribus, posticis ad basin et ad marginem posticum punctis minutissimis nigris strigisque 2 parallellis rufescentibus, interiore interrupta, posteriore abbreviata. ♂.

Terias drona Horsf. Ins. Lep. of Ind. Comp. II. p. 137. 64. t. 1. f. 13. Boisd. Sp. Gen. I. 675. 37.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

2. *T. zoe* (Hopffer): alis albido-sulphureis atomis nigris dense adspersis, anticis supra limbo lato, nigro-fusco, introrsum denticulato, marginem anticum, apicem marginemque exteriorem occupante, sed ante angulum posticum abrupte desinente; posticis supra ad angulum anticum late infuscatis. ♀.

Terias zoe Hopffer. Monatsber. der Preus. Acad. d. Wiss. z. Berl. 1855. p. 640. n. 5.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Descr. *T. brigittæ* feminæ simillima et varietatem ejus credidissem, nisi forma alarum anticarum obstitisset. Margo nempe exterior rectus, ut apex et angulus posticus sint multo magis acuti, quam in specie memorata. Alæ posticæ sunt etiam minus rotundatæ. Color albido- l. pallide sulphureus, dense nigro-atomatus; alæ anticæ ad marginem anticum, apicem et marginem exteriorem late nigro-fuscæ. Latitudo et forma hujus coloris omnino ut in *T. drona*, sed ad costam 2:dam abrupte desinit, ut angulus alæ posticus colore fundi sit ornatus, et exitus costæ primæ tantum infuscatus. Alæ posticæ tantum ad angulum anticum infuscatæ, sed latius quam in *T. drona*, et color ille ad medium marginis exterioris desinit. Signatura paginæ inferioris est omnino ut in *T. drona* et *brigitta*, sed multo magis obsoleta et strigarum rufescentium vestigium haud ullum. Cilia ut in speciebus memoratis.

3. *T. floricola* (Boisd.): alis flavis, anticis supra limbo tenuiore nigro, introrsum denticulato, apicem et marginem exteriorem occupante; posticis supra margine tenuissimo

nigro; omnibus subtus macula centrali fusca, albo-pupillata, anticis signaturis angulatis nigris in cellula. ♂.

Xanthidia floricola Boisd. Fn. de Madag. p. 21. 2.
Terias floricola Boisd. Sp. Gen. I. 671. 29.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Trib. DANAIDES. Boisd.

Gen. EUPLOEA. Fabr.

1. *E. ochlea* (Boisd.): alis supra nigris, anticis macula maxima discoidali, macula altera versus apicem punctisque 3 ad marginem exteriorem, 2 in apice et 2 ad marginem anticum albis, hyalinis; posticis macula maxima, discum occupante, punctisque 2—3 versus marginem exteriorem albis, hyalinis; omnibus infra ut in pagina superiore, sed posticis ad marginem exteriorem fuscescentibus seriebus duabus punctorum alborum. Long. al. exp. 80 millim.

Euploea ochlea Boisd. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. p. 589. 47.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Ad Portum Natal. Delegorgue.

2. *E. echeria* (Stoll.): alis supra nigris, anticis macula rotundata majori inter costas 2—3, de cetero punctis 11 sparsis, albis; posticis fascia transversa pallide flavo-ochracea, infra ad marginem serie punctorum alborum.

Papilio echeria Stoll. Supplement. tab. 29. fig. 2. 2 B.
Euploea Vaillantiana God. Encycl. Meth. IX. 183. 25.
Euploea echeria Boisd. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 589. 48.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Ad Portum Natal. Delegorgue.

Obs. Serie postica punctorum alborum in pagina inferiore alarum, de qua mentionem fecit Godart, omnino caret nostrum specimen, ut tantum series unica adsit. Maculæ alarum anticarum sunt albæ.

Gen. DANAIS. Latr.

1. *D. chrysippus* (Lin.): alis fulvis margine exteriore nigro, albo-punctato; anticis apice nigricante fascia maculari alba; posticis punctis nonnullis nigris in disco.

Papilio chrysippus Lin. S. N. 2. 767. 119. Cram. Uitl. Kap. t. 118. fig. B. C. Fabr. E. S. III. 1. 50. 154.
Euploea chrysippus Ochs. Schm. v. Eur. IV. 120. Kayser. Schm. p. 50.
Danais chrysippus Boisd. Fn. de Madag. p. 35.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Trib. ACRÆIDÆ. Doubled.

Gen. ACRÆA. Fabr.

1. *A. horta* (Lin.): alis supra fulvis nigro-maculatis, anticis apice hyalinis, posticis ad marginem exteriorem nigris, maculis fulvis vel flavidis; posticis infra albidis, nigro-maculatis, serie macularum albidarum in margine exteriore nigro, pone fasciam fulvam.

Papilio horta Lin. Syst. Nat. 2. 755. 55. Cram. Uits. Kap. pl. 298. fig. F. G. Fabr. E. S. III. 1. 159. 491.
Acræa horta. God. Encycl. IX. p. 231. 1. Boisd. Voy. d. l'Afr. Austr. p. Deleg. II. p. 591. 59.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Ad Portum Natal. Delegorgue.

2. *A. violarum* (Boisd.): alis supra fulvescentibus maculis magnis nigris sparsis in disco; anticis serie punctorum nigrorum intra marginem exteriorem nigrum; posticis margine nigro, albido-maculato; omnibus infra ut in pagina superiore maculatis, sed maculis marginalibus posticarum majoribus et maculis albis in apice nigro alarum anticarum.

Acræa violarum Boisd. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 591. 58.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Ad Portum Natal. Delegorgue.

3. *A. petræa* (Boisd.): alis supra fulvis costis margineque exteriore nigris; anticis fascia valde angulata nigra et intra illam maculis ejusdem coloris; posticis a basi ad medium punctis numerosis nigris; omnibus infra pallidioribus, roseo-tinctis; posticis margine albido-maculato pone fasciam fulvam, maculisque fulvis inter puncta basalia nigra. ♂.

Acræa petræa Boisd. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 591. 58.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Ad Portum Natal. Delegorgue.

4. *A. rahira* (Boisd.): alis pallide fulvis margine tenuissimo nigro, exitu costarum late nigro, punctis biseriatis, serie externa anticarum abbreviata, punctoque discoidali nigris; posticis infra flavis, striga transversa punctisque nigris.

Acræa rahira Boisd. Fn. de Madag. p. 33. t. 5. f. 4. 5. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 590. 55.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Ad Portum Natal. Delegorgue.

5. *A. nohara* (Boisd.): alis supra obscure fulvis, margine, præsertim posticarum late nigro, exituque costarum alarum anticarum nigro; anticis fascia abbreviata nigra prope apicem, punctis l. maculis discoidalibus nigris; posticis utrinque nigro-punctatis, margine infra maculis flavidis. ♀.

Acræa nohara. Boisd. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 590. 54.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Ad Portum Natal. Delegorgue.

Descr. Specimen nostrum a descriptione Boisduvali nonnihil differt. Alæ supra fulvæ; margo exterior anticarum sat tenue, sed posticarum late niger; exitus costarum in anticis etiam niger. Basis alarum præsertim posticarum nigra. Alæ anticæ signaturas habent nigras, nempe: fasciam obliquam prope apicem, marginem exteriorem non attingentem; intra illam maculas 3, unam ad costam transversam cellulæ, alteram maximam, quadratam, inter costas 2—3, et tertiam minutissimam, rotundatam, inter costas 1—2, omnes in linea recta sitas; prope basin maculas 2, alteram maximam in cellula, alteram rotundatam pone cellulam. Alæ posticæ versus basin nigram gerunt puncta nonnulla nigra et extra medium seriem punctorum ejusdem coloris, hinc inde confluentium. Alæ omnes sunt infra pallidiores; anticæ ut in pagina superiore maculatæ; posticæ flavescentes, puncta ut in pagina superiore gerentes, sed basi nigro-punctatæ; inter puncta maculæ fulvæ obsoletissimæ observantur; margo exterior niger flavo-maculatus. Cilia flavida.

6. *A. cabira* (Hpfr.): alis integerrimis fuscis, ad basin obscure ferrugineis, anticis maculis duabus stramineis, altera discoidali (pone cellulam) irregulari, altera ad apicem transversa; posticis basi utrinque nigro-punctatis, fascia transversa lata sinuata stra-

minea; subtus omnibus basi rubro-ferrugineis, striolis marginalibus fuscis albidisque, inter maculas sagittiformes anticarum fulvidas, posticarum flavescentes, positis.

Acræa cabira HOPFFER. Monatsber. d. Königl. Preuss. Acad. der Wissensch. zu Berlin. 1855. Sept. Oct. p. 640. n. 7.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Obs. Species *A. carmenti* DOUBL. quodammodo similis. Macula straminea alarum anticarum discoidalis, inter cellulam et marginem interiorem posita, dentem gracilem et acutum versus basin prope cellulam emittit, et limbus maculæ exterior est ad costam 2:dam sinuatus, ut dentes obtusos 2 formet. Ad marginem internum alarum est macula illa coarctata et ad cellulam latissima. Macula apicis marginem anticum non attingit et ad costam 4 desinit. Puncta baseos alarum posticarum sunt supra obsoletiora.

7. *A. manjaca* (BOISD.): alis supra fulvis margine exteriore nigro, fulvo-maculato; anticis margine antico fasciaque interrupta nigris; posticis supra macula discoidali nigra, infra luteis, supra medium nigro-punctatis, maculisque marginalibus, triangularibus, nigro-marginatis. ♂.

Acræa manjaca. BOISD. Fn. de Madag. p. 34. t. 5. fig. 6. 7. ♂. t. 4. f. 6. ♀.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Obs. Si varietas sit hæc species, potius ad *A. eponinam* (CRAM. t. 268 fig. C. D.), quam ad *A. serenam*, ut voluit GUERIN pertineat. (Vide: Voy. en Abyssinie par Lefebr. p. 373).

8. *A. lycia* (FABR.): alis supra fulvis, margine nigro, anticis apice late nigro fascia transversa, postice interrupta, ex maculis 5 albis, discoque maculis 3—4 nigris; posticis supra serie punctorum discoidali punctisque versus basin sparsis nigris, infra flavis nigro-punctatis, exituque costarum utrinque nigro. ♂.

Papilio lycia FABR. Syst. Ent. p. 464. (Var alba).
Acræa lycia GOD. Encycl. Meth. IX. p. 239. (Var alba).
Acræa sganzini BOISD. Fn. de Madag. p. 34. tab. 6. fig. 6. 7. (var lutea). Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. 590. 50. (var fulva).
Acræa lycia GUERIN. Voy. en Abyssinie par Lefebr. p. 377.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. Ad Portum Natal. DELEGORGUE.

9. *A. bellua* n. sp. alis supra fulvis punctis nigris, basi omnium late apiceque et macula costali extra cellulam anticarum nigris; margine posticarum nigro; posticis infra albescentibus, ad basin fulvis, punctis majoribus nigris, margine exteriore nigro maculis 7 albidis, et ante eum serie triangulorum fulva. ♀. Long. al. exp. 72 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Forma alarum fere ut in *A. nohara*, sed species multo major. Alæ omnes supra fulvæ; basis earum late nigra l. nigro-fusca, ut etiam apex et linea tenui marginis exterioris anticarum. In alis anticis de cetero adsunt signaturæ nigræ sequentes: inter costas 1—4 puncta 6 in seriebus duabus sita, altera versus marginem exteriorem, altera versus cellulam; extra cellulam macula magna a margine antico ad costam quartam, marginem ipsum haud attingens; in costa transversa cellulæ macula minor et in limite ipso coloris baseos puncta 2. In alis posticis adsunt puncta sparsa sat minuta, fulvedine fere obtecta; margo exterior late niger, immaculatus. Color paginæ inferioris alarum anticarum pallidior, basi et apice ut superne. Margo exterior anticarum tenue niger; puncta et macula costalis ut in pagina superiore; exitus costarum ut in pagina superiore niger. Alæ posticæ albescentes, ad basin fulvæ; margo exterior niger serie macularum 7 albidarum; ante eum serie triangulorum fulvorum inter costas; extra cellulam serie undulata punctorum nigrorum et puncta intra illam sparsa; puncta omnia magna et nigra. Cilia fusca. Abdomen nigrum, infra flavum, supra versus anum late fulvum.

Gen. ALÆNA. Boisd.

1. *A. amazula.* (Boisd.): alis supra ochraceis margine antico anticarum, margine exteriore costisque omnium nigris; infra ochraceo-albescentibus costis nigris. ♀. Long. al. exp. 32 millim.

Acræa amazoula. Boisd. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. p. 591. 60.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. In Terra Amazulorum. Delegorgue.

Trib. NYMPHALIDES. Latr.

Gen. ATELLA. Doubl.

1. *A. phalanta* (Fabr): alis supra fulvis, lineis duabus, interiore valde undata, maculisque ad marginem exteriorem nigris, serieque communi punctorum nigrorum continua per discum; anticis figuris in cellula ipsa maculisque 4 pone illam nigris; posticis infra mox pone medium subargenteo-purpurascentibus ocellis aliquot fulvis; anticis macula nigra ad angulum posticum.

Papilio phalanta Fabr. S. E. 518. E. S. III. 1. 149. 455. Drury. Ins. I. t. 21. f. 1. 2.
Papilio columbina Cram. Uitl. Kap. t. 337. fig. D. E. ♂. t. 238. fig. A. B. ♀.
Argynnis phalanta God. Encycl. Meth. IX. 259. 10. Boisd. Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. 592. 75.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Ad Portum Natal. Delegorgue.

PROTOGONIOMORPHA. n. gen.

(*Vanessa* God.)

Antennæ tertiam partem marginis anterioris alarum anticarum longitudine haud superantes, extrorsum sensim crassiores, in clavam elongatam, obovatam, haud determinatam, apice rotundatam, transeuntes.

Palpi elongati, porrecti, capite multo longiores, dense squamati, lateribus compressi, sed infra complanati et nonnihil canaliculati. Articuli haud distinguendi. Articulus intermedius in parte dorsali ante oculos pilis brevissimis densis instructus.

Oculi nudi.

Caput cum oculis collari latius. Collare sat distinctum et magnum, fere ut in genere *Godartia* (G. eurynome *Fabr.*). Thorax magnus, dorso alto et fornicato.

Pedes antici graciles, breves, tibiis femoribus brevioribus, tarsis brevibus, triarticulatis. Femora reliquorum nuda, squamosa, tibiis, præsertim pedum intermediorum, nonnihil longiora. Tibiæ et tarsi infra spinulosi.

Alæ amplæ; margo anticus alarum anticarum valde arcuatus, ad basin tamen nonnihil excisus; apex earum truncatus et margo exterior ad costam 6:tam valde angulato-productus, et mox pone productionem valde excisus. Alæ posticæ ad costam 5:tam in caudam brevem productæ; margo exterior et interior ad angulum analem excisus, ut angulus ipse sit acuminatus. Alæ posticæ valde canaliculatæ.

Costæ alarum posticarum 9: 1—4 e trunco superiore, 5—7 e trunco inferiore et 8—9 e basi egredientes; 1:ma in lobum basalem ramulum rectum, sat elongatum, bimucronatum, emittit; mucrones ejus divergentes, ut ramulus ad eos fractus appareat. Costa 8:va in angulum ani et costa 5:ta in caudam brevem excurrunt. Cellula discoidalis tertiam partem alæ haud occupat, et inter costas 4—5 costula transversa, subtilissima, spuria clausa. Costæ 5—6 ex eodem loco (angulo postico) cellulæ egrediunt. Costæ alarum anticarum 10: 1:ma e basi, 2—4 e trunco communi inferiore, 5:ta e costula transversa, 6—9 e trunco superiore et 10:ma e basi egredientes. Costa 1:ma in marginem alæ exteriorem ante angulum posticum excurrit. Costa 2:da e medio lateris postici sed costæ 3—4 ex ipso angulo postico cellulæ discoidalis egrediunt; hæc valde arcuata. Costæ 6—8 ex angulo antico cellulæ; costa 7:ma triramosa; costa 9:na e latere antico cellulæ discoidalis cum costa 10:ma in marginem anticum exit. Cellula discoidalis tertiam partem alæ haud superat; inter costas 4—5 costula transversa subtilissima, spuria, clausa.

1. *P. anacardii* (Lin.): alis subdentatis, anticis falcatis, posticis caudatis; omnibus utrinque margaritaceis; anticis supra apice margineque exteriore nigro-fuscis, punctis adjacentibus nigris, macula rotundata apicali, coeruleo-subpupillata, maculisque duabus ejusdem formæ versus angulum posticum nigris, quarum antica coeruleo-pupillata; posticis linea serieque macularum nigris in margine exteriore, maculis rotundatis versus angulum anticum nigris, quarum postica coeruleo-pupillata, ocelloque fulvo, flavo nigroque circumcincto, coeruleo-pupillato, ad angulum ani; omnibus infra linea communi subtili nigra; anticis ocellis 3, posticis 2 fulvis, flavo nigroque circumcinctis. Long. al. exp. 100 millim.

Papilio anacardii Lin. S. N. 2. p. 758. 74. Mus. Lud. Ulr. 236. Clerck Icon. t. 28 f. 1. Fabr. E. S. III. 1. 183. 567.
Papilio parhassus Drury. Ins. III. t. 4. f. 1. 2.
Vanessa aglatonice God. Encycl. Meth. IX. 299. 8.
Cynthia anacardii Boisd. Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. 591. 65.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Ad Portum Natal. Delegorgue.

Gen. PYRAMEIS. Doubl.

1. *P. cardui* (Lin.): alis dentatis, supra fulvis, roseo-tinctis, maculis inæqualibus atris albisque; posticis infra marmoratis, ocellis quatuor.

Papilio cardui Lin. S. N. 2. 774. 157. Fn. Sv. n. 1054. Fabr. E. S. III. 1. 104. 320. Cram. Uitl. Kap. t. 26. fig. E. F. Hübn. Pap. t. 15. f. 73. 74. Text. 14. 1.
Vanessa cardui Ochs. Schm. I. 1. 102. IV. 6. Treitsch. Schm. X. 1. 19. God. Encl. Meth. IX. 323. 62. Lepid. 1. 102. t. 2 secund. f. 2. Zett. Ins. Lapp. 894. 5. H—S. Syst. Bearb. t. 30. f. 157. 158 var. Wallengr. Rhop. Scand. p. 119. Boisd. Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. 592. 70. Fn. de Madag. p. 43. Kayser. Schm. t. 12. f. e. Guerin. Voy. en Abyss. par Lefebv. p. 380.
Aglais cardui Dalm. Pap. Sv. 65. 7.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Vulgaris. Delegorgue.

Gen. SALAMIS. Boisd.

1. *S. cloantha* (Cram.): alis dentatis, supra fulvis, anticis strigis serieque punctorum, nigris; posticis macula discoidali nigra serieque postica macularum subocellatarum, violacearum.

Papilio

Papilio cloantha CRAM. Uitl. Kap. t. 338. f. A. B.
Vanessa cloantha GOD. Encycl. Meth. IX. 322. 61. GUERIN. Voy. en Abyss. par Lefebv. p. 380.
Salamis cloantha BOISD. Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. 591. 66.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. In Terra Amazulorum. DELEGORGUE.

2. *S. archesia* (CRAM.): alis dentatis, supra obscure brunneis; anticis falcatis apice margineque exteriore fuscis; fascia communi obscure fulva anticarum ad costam caerulea, posticarum serie punctorum nigrorum minutorum divisa; anticis signaturis nigris, sordide caeruleis in cellula, striga caerulea versus marginem, serieque punctorum 6 albidorum, postice fasciam fulvam dividente; omnibus infra fusco-, griseo- et brunneo-marmoratis.

Papilio archesia CRAM. Uitl. Kap. t. 219. fig. D. E. FABR. E. S. III. 1. 119. 363.
Vanessa archesia GOD. Encycl. Meth. IX. 316. 47.
Salamis archesia BOISD. Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. 591. 67.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. In Terra Massilicatzi. DELEGORGUE.

3. *S. pelarga* (DRURY): alis anticis falcatis, posticis intus subcaudatis; omnibus supra fuscis fascia fulva, nigro-punctata, communi, lineaque sub-marginali, obsoleta, caerulescente: punctis anticarum plus minus sordide albis; anticis signaturis obscure fulvis, caeruleo-marginatis in cellula; omnibus infra xerampelinis, linea fusca communi media. ♀.

Papilio pelarga DRURY. Ins. III. t. 27. f. 1. 2. STOLL. Suppl. à Cram. t. 27. f. 2 et 2 A.
Vanessa pelarga GOD. Encycl. Meth. IX. 313. 37.
Salamis pelarga BOISD. Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. 592. 69.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. Ad Portum Natal. DELEGORGUE.

4. *S. pelasgis* (GOD.): alis anticis falcatis, posticis intus subcaudatis; omnibus utrinque fuscis, fascia antice bifida, supra flavescente, infra alba, serie punctorum nigrorum utrinque divisa; punctis duobus albis prope apicem anticarum.

Vanessa pelasgis GOD. Encycl. Meth. IX. 820. 38—39.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

5. *S. ceryne* (BOISD.): alis angulatis, dentatis, supra fuscis, ad basin fulvescente-ochraceo-maculatis, fascia lata communi, antice bifida, flavo-ochracea, extra seriem punctorum nigrorum fulva; anticis punctis 4 albis versus apicem; omnibus infra flavo-fulvis maculis baseos fasciaque communi albidis, serieque lunularum albidarum nigro-marginatarum ad marginem exteriorem.

Salamis ceryne BOISD. Voy. de l'Afr. Austr. par. Deleg. II. p. 592. 68.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. In Terra Amazulorum. DELEGORGUE.

6. *S. tukuoa* *) n. sp. alis anticis falcatis, posticis intus subcaudatis, supra fuscis, ad basin fulvo-maculatis, fascia lata communi, antice bifida, flavo-fulvida, extra seriem punctorum nigrorum fulva; anticis punctis 4 albis versus apicem; omnibus infra rufo-brunnescentibus, maculis fulvidis ad basin, fascia gracili communi fulvida, extrorsum denticulata, et ad apicem anticarum punctis 3 flavo-albidis. ♂. Long. al. exp. 55 millim.

*) *Tukuoa* est nomen lunæ apud Hottentottos.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Alarum forma ut in *S. archesia,* sed color paginæ superioris fere speciei præcedentis; color tamen paginæ inferioris alienus, et cum *S. laodice* (CRAM.) magis conveniens. Color paginæ superioris alarum fuscus, ad basin marginis antici anticarum fulvus; maculæ baseos et cellulæ omnino ut in priore, sed fulvæ, et ad finem cellulæ alarum anticarum striola caerulea. Fascia communis lata eandem formam ut in præcedente habet, sed color flavo-fulvus, et extra seriem punctorum nigrorum fulvus. Series punctorum nigrorum ut in præcedente, sed punctum inter costas 1—2 alarum anticarum pupillam albam gerit minutissimam. Puncta 4 alba apicis alarum anticarum et series lunularum caeruleo-albidarum marginalis omnino ut in præcedente. Alæ omnes sunt infra rufo-brunnescentes, fulvedine tinctæ, maculis fulvidis basalibus et cellularibus, obscure marginatis, maculis paginæ superioribus respondentibus, fasciaque communi transversa fulvida, in anticis obsoletiore, extrorsum denticulata, fascia paginæ superioris triplo graciliori, minime bifurcata. Extra illam vestigium obsoletissimum rufum punctorum paginæ superioris; puncta apicalia hujus paginæ tantum 3, flavo-albida, infra observantur. Prope marginem exteriorem adest striga obscura, infuscata, haud sordide caerulea. Cilia fuscescentia, albido maculata.

Gen. VANESSA. FABR.

1. *V. amestris* (DRURY): alis anticis subfalcatis, posticis dentatis, omnibus supra fuscis, ad basin late caerulescentibus, pone medium fasciis tribus, macularibus, transversis, intermedia fulvo-ferruginea, introrsum nigro-punctata, ceteris caeruleis, serieque lunularum caerulearum intramarginali; anticis maculis duabus apicalibus albis; infra fuscis, cinereo-undatis, serie punctorum subocellatorum.

Papilio amestris DRURY. Ins. III. t. 20. f. 3.
Papilio zingha FABR. E. S. III. 1. 117.
Vanessa emma GOD. Encycl. Meth. IX. 315. 43.
Vanessa zingha GUERIN. Voy. en Abyss. par Lefebv. p. 380.
Vanessa amestris BOISD. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 592. 71.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. In Terra Massilicatzi. DELEGORGUE.

Gen. PRECIS. AUCT.

1. *P. octavia* (FABR.): alis dentatis, supra fulvis, ad basin et ad marginem exteriorem utrinque nigris, serieque communi punctorum nigrorum intermedia; macula utrinque nigra ad finem cellulæ alarum omnium, maculaque fulva supra ad basin anticarum; omnibus infra pallidioribus, nitentibus, maculis baseos flavescentibus, margine serie lunularum albarum duplici. Long. al. exp. 65 millim.

Papilio octavia FABR. Sp. Ins. II. 91. 402. E. S. III. 1. 120. 369. CRAM. Uitl. Kap. t. 135. B. C.
Vanessa octavia GOD. Encycl. Meth. IX. 322. 60. BOISD. Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. 592. 74. GUERIN. Voy. en Abyss. par Lefebv. p. 380.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. In Terra Massilicatzi. DELEGORGUE.

2. *P. simia* n. sp. alis dentatis, supra fulvis, ad basin et ad marginem exteriorem utrinque nigris, serieque communi punctorum nigrorum intermedia; basi anticarum supra maculis tribus fulvis et ad finem cellulæ lineola undata ejusdem coloris; omnibus infra pallide-fulvis maculis baseos flavescentibus, margine serie lunularum albarum duplici. ♂. Long. al. exp. 45 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Præcedenti valde affinis, sed fere duplo minor et præsertim colore baseos alarum diversa est hæc species. Forma alarum omnino ut in præcedente; sed color earum supra obscurius fulvus. Margo exterior et basis alarum omnium nigri; nigredo baseos latior quam in specie præcedente et supra cellulas discoidales se extendens. In colore baseos anticarum maculæ 3 fulvæ, una pone cellulam, et 2 in cellula ipsa, observantur; præter

eas lineola undata ad finem cellulæ adest fulva. Series punctorum communis ut in præcedente, sed puncta, præsertim in alis posticis, minora. In nigredine marginis exterioris adest series lunularum albidarum duplex, sed obsoleta, ut in specie præcedente. Color paginæ inferioris alarum pallide fulvus, sed extra seriem punctorum nigrorum obscurior. Color marginis exterioris omnino ut in specie præcedente, sed color baseos niger æque latus ac in pagina superiore, et in alis anticis maculis tribus lineolaque ad finem cellulæ undata flavidis notatus. In nigredine baseos alarum posticarum maculæ 4 flavidæ ut in specie præcedente observantur, sed positionem aliam habent: macula maxima et ovata est inter costam 1 et 2 locata, et ante costam 1:mam (ubi species memorata duas gerit) macula nulla observatur; in cellula ipsa maculæ duæ adsunt, quarum interior minuta, et inter costas 7 et 8 macula minuta locum tenet. Cilia alarum utrinque fusca, albo-maculata.

Gen. JUNONIA. DOUBL.

1. *J. orithya* (LIN.): alis denticulatis, supra nigris, anticis costa baseos fasciaque ante apicem transversa abrupta albis, ocellis duobus unipupillatis; posticis cyaneis, ad basin nigris, ocellis duobus unipupillatis.

Papilio orithya LIN. S. N. 2. 770. 137. CRAM. Uitl. Kap. t. 19. fig. C. D. t. 32. f. E. F. t. 290. fig. A. B. C. D. FABR. E. S. III. 1. 91. 284.
Vanessa orithya. GOD. Encycl. Meth. IX. 821. 48. GUERIN. Voy. en Abyss. p. Lefebv. p. 380.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

2. *J. oenone* (LIN.): alis denticulatis, supra luteis, basi margineque nigris, anticis macula apicali alba, posticis macula basali rotundata cyanea; omnibus aut ocellatis, aut caecis.

Papilio oenone LIN. S. N. 2. 770. 135. CRAM. Uitl. Kap. t. 35. f. A. B. C. FABR. E. S. III. 1. 90. 280.
Vanessa oenone GOD. Encycl. Meth. IX. 318. 51. BOISD. Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. 592. 72. GUERIN. Voy. en Abyss. p. Lefebv. 380.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. — Vulgaris. DELEGORGUE.

Gen. NEPTIS. FABR. WESTW.

1. *N. melicerta* (FABR.): alis denticulatis. supra fusco-nigris, fascia utrinque lata communi alba, ad costam 2:dam anticarum interrupta; omnibus infra lunulis triseriatis marginalibus maculisque baseos albis. ♂. Long. al. exp. 50 millim.

Papilio melicerta FABR. Syst. Ent. 580. 274. E. S. III. 1. 244. 762.
Papilio agatha CRAM. Uitl. Kap. t. 327. fig. A. B.
Nymphalis melicerta GOD. Encycl. Meth. IX. 432. 260.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. Specimen unicum.

Obs. Specimen nostrum est varietas. Maculis baseos alarum anticarum plane caret.

Gen. DIADEMA. BOISD.

1. *D. wahlbergi.* n. sp. alis anticis nigris, macula transversa subapicali, macula minuta in cellula maculaque maxima, marginem interiorem occupante, albis; posticis utrinque albis, margine exteriore fusco, costis nigris, serieque punctorum nigrorum infra ad marginem exteriorem. ♂. Long. al. exp. 83 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Species ad sect. 2:dam hujus generis pertinet, quæ cellulam alarum posticarum plane apertam gerit. Alæ anticæ in margine exteriore valde excisæ; posticæ haud denticulatæ. Palpi, caput, collare et pectus nigra, albomaculata; pectus maculis fulvidis etiam ornatum. Alæ anticæ supra nigræ, ad apicem macula, l. potius

fasciola transversa, margines non attingente, alba, costis percurrentibus nigris in maculas 3 divisa; in cellula macula minuta oblonga, alba; macula alba maxima, caerulescenti hinc inde tincta, costis 1:ma et 2:da in tribus divisa, marginem interiorem occupat, sed basin et marginem exteriorem non attingit. Infra sunt alæ eædem fere ut in pagina superiore coloratæ, sed color fundi magis fuscus, præsertim versus apicem et marginem anteriorem. Maculæ ut in pagina superiore adsunt, sed macula subapicalis potius est fascia, quæ margines fere attingit et ad basin maculæ adsunt nonnullæ maculaque in cellula trigona albæ, quibus pagina superior omnino caret. Alæ posticæ supra albæ ad basin et ad marginem exteriorem nigræ, costis nigris ornatæ; margo posticus lineolas nigras inter costas in discum emittit. Infra sunt alæ eædem fere ut in pagina superiore coloratæ, sed margo posticus est tenuiter infuscatus, linea subinconspicua alba divisus, et ad angulum ani latius fuscus. Basis albo-maculata. Versus marginem posticum series punctorum nigrorum adest.

Gen. ADOLIAS. BOISD.

1. *A. meleagris* (DRURY.): alis supra fusco-brunneis seriebus tribus macularum albarum, nigro-notatarum; infra fulvescentibus nigro alboque punctatis.

Papilio meleagris DRURY Ins. III. t. 27. f. 3. 4. CRAM. Uitl. Kap. t. 66. f. A. B. FABR. E. S. III. 1. 128. 393.
Nymphalis meleagris GOD. Encycl. Meth. IX. 387. 130.
Adolias meleagris BOISD. Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. 592. 76. GUERIN. Voy. en Abyss. p. Lefbv. 380.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. In Terra Massilicatzi. DELEGORGUE.

Gen. MENERIS. WESTW.

1. *M. tulbaghia* (LIN.): alis subdentatis, rufo-fuscis, fascia communi fulvida, in anticis interrupta; his prope marginem exteriorem serie macularum fulvidarum; posticis ocellis caeruleis, magnis, supra 3, infra 5.

Papilio tulbaghia LIN. S. N. 2. 775. 158. FABR. E. S. III. 1. 105. 323. CRAM. Uitl. Kap. t. 3. f. E. F.
Nymphalis tulbaghia GOD. Encycl. Meth. IX. 400. 171.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Gen. PHILOGNOMA. WESTW.

1. *Ph. varanes* (CRAM.): alis caudatis, supra fuscis, nigro fulvoque maculatis, basi late alba; infra fulvidis, ad marginem exteriorem hinc inde argenteo-micaceis, fascia media communi fusca, argenteo-marginata, lineisque transversis valde undulatis fuscis, subcaeruleo-micaceis in disco et ad basin; posticis subocellatis.

Papilio varanes CRAM. Uitl. Kap. t. 160. fig. D. E. t. 388 f. A. B. FABR. E. S. III. 1. 66. 206.
Nymphalis varanes GOD. Encycl. Meth. IX. 364. 48.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Gen. CHARAXES. OCHS.

1. *Ch. pelias* (CRAM.): alis bicaudatis, basi fulva, fascia media communi flavida, antice nigro-punctata, margineque exteriore nigro, posticarum latiore; anticis maculis marginalibus fulvis; posticis maculis intramarginalibus fulvis l. albido-flavis, et intra illas maculis 3—4 caeruleis; omnibus infra ferrugineis fascia communi alba latiore, signaturisque baseos albis; anticis maculis biseriatis, intramarginalibus, fulvis serieque interjacente punctorum nigrorum.

Papilio pelias CRAM. Uitl. Kap. t. 3. fig. C. D.
Nymphalis pelias GOD. Encycl. Meth. IX. 351. 2.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Obs. Specimen nostrum a fig. CRAMERI et descriptione GODARTI tantum basi alarum supra fulva nec ferruginea serieque punctorum nigrorum in pagina inferiore alarum anticarum differt.

2. *Ch. ephyra* (GOD.): alis bicaudatis, supra nigris, anticis margine exteriore punctisque costalibus 4 per paria positis cæsio-virescentibus; posticis lunulis intramarginalibus fulvescentibus serieque lunularum albidarum; omnibus infra lineis sinuatis nigris. ♂.

Nymphalis ephyra GOD. Encycl. Meth. IX. 355. 18.
Charaxes ephyra FEISTH. An. de la Soc. Ent. de. Fr. 1850. p. 258.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Trib. BIBLIDES. BOISD.

Gen. HYPANIS. BOISD.

1. *H. illithya* (DRURY.): alis denticulatis supra fulvis, anticis ad marginem anticum et interiorem a basi usque ad medium sat late nigris, fasciaque versus marginem exteriorem transversa, interrupta nigra; posticis fascia lata intramarginali nigra fulvo-maculata, infra fasciis tribus, flavo-albidis, puncto discoidali nigro, albo-limbato margineque exteriori nigro, albo-lineato l. punctato.

Papilio illithya DRURY. Ins. II. t. 17. f. 1. 2. CRAM. Uitl. Kap. t. 213. fig. A. B. t. 214. fig. C. D. FABR. E. S. III. 1. 131. 403.
Biblis illithya GOD. Encycl. Meth. IX. 327. 7.
Hypanis illithya BOISD. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. 591. 61. GUERIN. Voy. en Abyss. par Lefbv. p. 380.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. Ad Portum Natal. DELEGORGUE.

2. *H. acheloïa* n. sp. alis denticulatis, supra fulvis, anticis ad marginem anticum a basi usque ad medium sat late, macula ad marginem interiorem fasciaque transversa, subinterrupta, versus marginem exteriorem, nigris; posticis fascia ad marginem exteriorem nigra, fulvo-maculata, infra brunneis fasciis tribus macularibus albidis. ♀.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Speciei præcedenti sat affinis, sed minor. *H. coræ* FEISTH. (An. de la Soc. Ent. de Fr. 1850. p. 249.) etiam similis videtur, sed nulla cum *H. pollinice* CRAM. in pagina superiore similitudo. Alæ supra fulvæ; anticæ, ut in specie præcedente, ad marginem anticum a basi usque ad medium sat late nigræ, sed ad marginem interiorem tantum maculam bimucronatam nigram gerunt. Fascia interrupta versus marginem exteriorem, ut in priore, sed fascia est antice gracilior et macula costali nigra, postice lunata, desinit. Extra hanc fasciam linea postice abrupta antice latior, prope marginem ipsum fulvum, locum tenet. Costæ a fascia transversa usque ad marginem exteriorem omnes nigræ. Alæ posticæ ad marginem exteriorem fasciam latam, nigram, fulvo-maculatam, omnino ut in præcedente gerunt; ad basin fascia adest nulla, sed tantum macula dentata nigra in margine antico. Alæ anticæ sunt infra omnino ut in specie præcedente, sed apex brunneus, maculis quatuor albis notatus, de cetero, cum margine exteriore concolore, unicolor. Alæ posticæ infra differentiam maximam præbent: color rufobrunneus, fasciis 3 transversis macularibus albidis exceptis, signatura alia omnino caret; maculæ fasciarum colore fundamentali invicem disjunctæ; maculæ baseos postice et disci antice nigro-marginatæ. Fascia postica minime in margine externo, sed longe intra illum locata est. Cilia alarum fusca.

Gen. EURYTELA. BOISD.

1. *E. hyarba* (FABR.): alis dentatis, supra nigris fascia communi alba, posticarum lata, anticarum graciliore atque abbreviata; omnibus infra carneis maculis strigisque obscurioribus, fascia ut in pagina superiore.

Papilio hyarba FABR. E. S. III. 1. 128. 391. DRURY Ins. III. t. 14. f. 1. 2.
Biblis hyarba GOD. Encycl. Meth. IX. 824. 5—6. a.
Eurytela hyarba BOISD. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 591. 63.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. Ad Portum Natal. DELEGORGUE.

2. *E. dryope* (CRAM.): alis dentatis, supra fuscis, fascia postica luteo-fulva, posticarum latissima, anticarum abbreviata; omnibus infra fusco-corticinis, strigis fuscis, postice pallidioribus, linea intramarginali fusca, albo-marginata.

Papilio dryope CRAM. Uitl. Kap. t. 78. f. E. F. FABR. E. S. III. 1. 246. 793.
Biblis dryope GOD. Encycl. Meth. IX. 824. 5—6. b.
Eurytela dryope BOISD. Fn. de Madag. p. 55. 3. Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. p. 591. 64.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. Ad Portum Natal. DELEGORGUE.

Trib. SATYROIDÆ.

Gen. CRENIS. BOISD.

1. *C. natalensis* (BOISD.): alis supra obscure fulvis serie punctorum maculisque subtrigonis, seriatis, marginalibus, nigro-fuscis; anticis infra fulvo-flavescentibus, apice cinereo nigro-punctato; posticis infra griseo-canis lineis duabus transversis discoidalibus, sinuatis, ferrugineis, ocellisque seriatis, confluentibus, fulvo-circumcinctis, nigro-punctatis. ♂.

Crenis natalensis BOISD. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 592. 80.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. Ad Portum Natal. DELEGORGUE.

2. *C. boisduvali* n. sp. alis supra fuscis serie punctorum nigrorum; anticis infra fulvis apice albido, nigro-punctato, discoque *maris* unicolore, *feminæ* nigro-maculato; posticis infra albido-canis fascia grisea, fusco-marginata discoidali, ocellisque seriatis, confluentibus, fulvo-circumcinctis, nigro-punctatis.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Præcedenti similis, at multo minor. *Mas:* alæ supra fuscæ, fulvedine haud tinctæ; anticæ unicolores; posticæ tamen seriem punctorum nigrorum, fulvedine haud subcinctorum prope marginem exteriorem et in margine illo ipso lineolas abbreviatas fuscas gerunt. Alæ anticæ infra fulvæ; apex albidus l. canus punctis tribus nigris; ad marginem exteriorem series lineolarum fuscarum. Alæ posticæ infra albido-canæ; fascia discoidalis lata, transversa, grisea, linea valde sinuata, fusca, utrinque limbata; ad finem cellulæ hæc fascia lineola fusca est notata. Pone fasciam series circulorum confluentium, fulvorum, nigro-punctatorum, ocellos mentientium. In margine exteriore linea undulata nigra. Cilia fusco-cinerea.

Femina mare haud major et ei similis; differt tamen macula pallida prope apicem paginæ superioris et maculis duabus, indeterminatis, nigris, in disco paginæ inferioris alarum anticarum. Color paginæ inferioris alarum posticarum albidior.

Gen. CYLLO. BOISD.

1. *C. leda* (LIN.): alis angulatis, supra fuscis; anticis ocello sesquialtero in macula apicali dilutiore; omnibus subtus griseo-reticulatis, striga ocellorum.

Papilio leda LIN. S. N. 2. 773. 150. CRAM. Uitl. Kap. t. 292. fig. A. t. 196. f. C. D. FABR. E. S. III. 1. 108. 333.
Satyrus leda GOD. Encycl. Meth. IX. 478. 4.
Cyllo leda BOISD. Fn. de Madag. p. 58. 2. Voy. de l'Astrolabe. p. 142. 3. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 594. 88. GUERIN. Voy. en Abyss. par Lefebv. 382.

Papilio solandra FABR. E. S. III. 1. 106. 328. var. DONOV. Epit. of Ins. of New-Holl. t. 23. f. 1.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. Ad Portum Natal. DELEGORGUE.

LEPTONEURA. n. gen.

Antennæ breviores, in clavam oblongam, obtusam, haud determinatam, sensim transeuntes.

Palpi longitudinem capitis superantes, recti, triarticulati. Articuli arcte conjuncti, haud distinguendi, in lateribus subsquamati, infra pilis rigidis instructi.

Oculi dense hirsuti.

Pedes antici brevissimi, tenues, in pilositate pectoris plane occulti. Femora reliquorum nuda, tibias longitudine æquantes.

Alæ rotundatæ, integræ. Cellula discoidalis dimidiam partem alarum anticarum occupat.

Costæ alarum posticarum 9: 1—4 e trunco communi superiore, 5—7 e trunco communi inferiore, 8—9 e basi. Costa 1:ma ramulum sat longum, inflexum, in lobum basalem emittit. Costæ alarum anticarum 10: 1:ma e basi, 2—4 e trunco communi inferiore, 5—6 e costula transversa cellulæ, 7—9 e trunco communi superiore et 10:ma e basi; costæ 6—8 ex eodem fere loco (angulo antico cellulæ) et costa 9:na haud procul ab illis egrediuntur; costa 7:ma triramosa; costula transversa cellulæ obliqua, recta. Costæ omnes ad basin normales.

1. *L. clytus* (LIN.): alis integris fuscis, anticis supra fascia ochracea bifida, ocellos 2 apicales includente; posticis utrinque ocellis 5—6, infra lineis discoidalibus transversis dentatis fuscis, griseo-marginatis. ♀.

Papilio clytus LIN. S. N. 2. 768. 124. FABR. E. S. III. 1. 214. 671. CRAM. Uitl. Kap. t. 86. ESP. Schm. t. 66. Cont. 16. f. 2—4.
Papilio tisiphone FABR. E. S. III. 1. 243. 757. BORKH. Schm. I. 239. 21.
Satyrus clytus GOD. Encycl. Meth. IX, 525. 132.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

PSEUDONYMPHA. n. gen.

Antennæ longiores, extrorsum in clavam distinctam, determinatam, obovatam, subito transeuntes. Clava lateraliter compressa, in speciminibus exsiccatis excavata.

Palpi longitudinem capitis valde superantes, adscendentes, apicibus subnutantibus, triarticulati. Articulus medius omnium longissimus, reliquis conjunctis multo longior, lateraliter compressus, ad basin articulo basali latitudine æqualis, exinde attenuatus, apice truncatus, pilis longissimis divaricatis rigidis, præsertim infra, instructus. Articulus ultimus basali haud longior, subovatus, apice rotundatus, pilis brevissimis instructus, in pilositate articuli medii fere occultus.

Oculi nudi.

Pedes antici brevissimi, tenues, in pilositate pectoris plane occulti. Femora reliquorum fere nuda, tibiis fere longiora.

Alæ rotundatæ, integræ. Cellula discoidalis alarum anticarum dimidiam partem alæ fere occupat.

Costæ alarum ut in genere sequente, sed costæ 6—7 alarum anticarum ex eodem loco (angulo antico) cellulæ, et costa 8:va e latere antico ejusdem cellulæ egrediuntur. Costula transversa cellulæ alarum anticarum inter costas 5—6 valde angulata et inter costas 4—5 recta.

1. *P. hippia* (CRAM.): alis supra fuscis, anticis maris disco fulvescente, ocello unico magno apicali bipupillato; posticis infra albido-canis striis transversis discoidalibus, undulatis, fuscis, obsoletis, ocellis supra 1—2, infra 1—3 obsoletioribus.

Papilio hippia CRAM. Uitl. Kap. t. 222. fig. C. D.
Satyrus cassius GOD. Encycl. Meth. IX. p. 526. 134. (excl. syn. Fabr. et syn. Crameri pl. 168.)

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Specimen nostrum masculum omnino cum fig. CRAMERI et descriptione GODARTI convenit, sed specimen femineum differt alis supra fuscis concoloribus, tantum anticis infra in disco fulvescentibus, ocelloque posticarum utrinque tantum unico, minutissimo, punctum nigrum, albido-pupillatum in angulo ani constituente.

2. *P. hyperbioides* (NOB.): alis supra fuscis, disco omnium fulvescente, striga communi submarginali fusca; anticis ocello magno apicali bipupillato; posticis ocellis duobus caeruleo-pupillatis, infra flavido-griseis atomis brunneis, ad medium marginis antici et ad marginem posticum acervatis, ocellisque nullis. ♂.

Papilio hyperbius CRAM. Uitl. Kap. t. 168 f. C. D. (nec fig. E. F.). FABR. E. S. III. 1. 215. 672. (Exclus. syn. Linnei et syn. Cram. t. 314. f. C. D.).

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Specimen nostrum masculum cum fig. CRAMERI l. c. omnino convenit.

3. *P. hyperbius* (LIN.): alis supra fuscis disco omnium ferrugineo, anticis ocello apicali caeruleo-bipupillato; posticis utrinque puncto nigro anali pupillato, minuto, infra fuscescentibus, ad basin griseis, serie transversa discoidali punctorum obsoletissimorum albidorum. ♂.

Papilio hyperbius LIN. S. N. 2. 769. 130.
Satyrus hyperbius GOD. Encycl. Meth. IX. 527. 135.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

4. *P. narycia* n. sp. alis utrinque fusco-brunneis, anticis utrinque macula transversa fulva, ocelloque magno caeruleo-bipupillato; posticis supra caecis, infra ocellis 5, quorum antico majore, lineaque exteriore fuscescente notatis. ♂. Long. al. exp. 42 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Alæ omnes supra fusco-brunneæ; anticæ macula magna transversa fulva, margines minime attingente, extra cellulam utrinque notatæ; hæc macula est extrorsum, præsertim infra, fuscedine limbata; in macula eadem, sat procul ab apice alæ, adest ocellus magnus niger, iride flava circuloque fusco circumcinctus, et caeruleo-bipupillatus. Alæ posticæ supra obscuriores, unicolores et caecæ; infra dilutiores ocellis 5 minoribus notatæ et extra seriem ocellorum linea continua fuscescente ornatæ. Ocelli omnino ut in alis anticis, sed minores et tantum unipupillati; ocellus maximus prope marginem anticum; ocelli 2—3 minutissimi. Lobus basalis alarum posticarum flavedine tinctus. In ipso margine exteriore linea nigra communis infra conspicitur. Cilia utrinque fusca, subnitentia.

PHYSCÆNEURA. n. gen.

Antennæ breviores, extrorsum sensim crassiores, clavam gracilem indeterminatam constituentes.

Palpi

Palpi longitudinem capitis valde superantes, porrecti, triarticulati. Articulus medius omnium longissimus, reliquis conjunctis longior, subcylindricus, pilis longissimis, rigidis infra instructus. Articulus ultimus basali multo longior, cylindricus, acuminatus, fere nudus, pilis brevissimis tantum infra instructus. Articulus basalis brevissimus, ab intermedio haud distinguendus.

Oculi nudi.

Pedes antici brevissimi, tenues, in pilositate pectoris plane occulti. Femora pedum reliquorum nuda, tibiis fere longiora; articuli tarsorum haud distinguendi.

Alæ rotundatæ, integræ. Cellula discoidalis alarum anticarum dimidiam partem alarum haud occupat.

Costæ alarum posticarum 9: 1—3 e trunco communi superiore, 4:ta e costula transversa cellulæ, 5—7 e trunco communi inferiori, 8—9 e basi egredientes. Costa 1:ma ramulum brevem, rectum in lobum basalem emittit. Costæ alarum anticarum 9: 1:ma e basi, 2—4 e trunco communi inferiore, 5—6 e costula transversa cellulæ, 7—8 e trunco communi superiori et 9:na iterum e basi egredientes. Costæ 7—9 fere ex eodem loco (angulo antico) cellulæ oriuntur. Costa 7:ma quadriramosa. Costa 9:na ad basin valde inflata, vesicam magnam, ovatam formans. Costæ reliquæ ad basin normales. Costula transversa cellulæ alarum anticarum simplex, inter costas 5—6 modice arcuata, et inter costas 4—5 subrecta.

1. *P. panda* (Boisd.): alis supra fuscis, maculis intramarginalibus fulvis, nigro-punctatis, anticarum confluentibus, infra lineolis nigris albisque pulchre atque dense marmoratis; anticis fascia intramarginali fulva pupillis argenteis 5; posticis ocellis fulvis argenteo-pupillatis 7, primo reliquis disjuncto, ultimis 2 connatis. Long. al. exp. 35—40 millim.

   Satyrus panda Boisd. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 594. 85.

   Hab. in Caffraria. Wahlberg. In Terra Amazulorum. Delegorgue.

Gen. MYCALESIS. Westw.

1. *M. injusta* n. sp. alis supra nigro-fuscis, anticis ocellis 2, inferiori majore, posticis unico, obsoleto; omnibus infra striga communi albida discoidali, lineaque intramarginali nigra; anticis fasciola cellulari pallida, ocellisque 2 majoribus; posticis stria continua subpallida versus basin, ocellisque 7, secundo, tertio et septimo minutis. ♂. Long. al. exp. 50 millim.

   Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Descr. *M. justinæ* (Cram. t. 226. f. C.) sat similis, sed major. Alæ omnes supra nigro-fuscæ; anticæ ocellos 2 nigros, albo-pupillatos, iride flavida gerunt, quorum posterior major; posticæ ocellum minutissimum, obsoletum inter costas 6—7 habent. Alæ omnes infra nigro-fuscæ striga communi albida, versus angulum analem posticarum subevanescente; extra hanc strigam fundus est dilutior, præsertim in anticis, et circum ocellos cinereo hinc inde tinctus. In cellula alarum anticarum adest fasciola pallida, et ad basin posticarum striga angulata ejusdem fere coloris. Ocelli alarum anticarum 2 adsunt, sed posterior multo major et anterior multo minor, quam in pagina superiore; ceteroquin ocelli 3 minutissimi observantur, quorum 1 mox ante ocellum maximum, et reliqui 2 in utroque latere ocelli apicalis. Ocelli alarum posticarum 7, nigri, albo-pupillati, iride flavida, quorum 2:dus, 3:tius et 7:mus minuti, omnino ut in figura Crameri l. c. Extra ocellos linea valde dentata, sed obsoleta, fuscescens, et prope marginem exteriorem altera nigra locum tenet. Linea ejusmodi in margine ipso adest. Cilia fusca, infra pallidiora.

2. *M. caffra* n. sp. alis supra fusco-brunneis, anticis striola extra cellulam albida, ocellisque 5, postico maximo, anterioribus minutis, posticis puncto minuto nigro, subocellari; omnibus infra fusco-brunneis margine late flavido-cinereo, anticis fasciola cellulari pallida, strigaque transversa albida et ocello unico; posticis stria fusca ad basin, punctisque seriatis nigris versus marginem. ♀. Long. al. exp. 55 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Præcedente major. Alæ omnes supra fusco-brunneæ; anticæ extra cellulam striolam transversam brevem albidam ocellosque 5 gerunt. Ocellus maximus niger albo-pupillatus, iride gracili et subobsoleta flavida circumcinctus, inter costas 2—3 locum tenet; ante eum ocellus minutus, subobsoletus, et versus apicem 2 distinctiores et nonnihil majores, omnes albo-pupillati, locum tenent, sed ante eos iterum ocellus, caecus atque omnium minutissimus occurrit. Extra seriem ocellorum macula ad costam 4:tam indeterminata pallida adest. Alæ posticæ supra unicolores tantum punctum nigrum sat obsoletum inter costas 6—7 gerunt. Alæ omnes sunt infra fusco-brunneæ margine communi latissime flavido-cinereo et in termino ejus interno fascia transversa albida per alas anticas se extendit. In cellula earundem alarum fasciola recta pallida observatur, et in margine cinereo ocellus albo-pupillatus, ocello maximo paginæ superioris respondens. Ocelli reliqui paginæ superioris vestigium haud reliquarunt, nisi punctis albis obsoletissime sunt indicati. Versus marginem exteriorem alarum omnium series punctorum nigrorum obsoleta adest, et basis alarum posticarum est flavido-pulverulata, et striam fuscam, transversam ut in specie præcedente gerit. Cilia fusca, infra cinerascentia.

Trib. LYCÆNOIDÆ.

Gen. LOXURA. BLANCH.

1. *L. alcides* (CRAM.): alis caudatis, supra fuscis, a basi supra discum violaceis margineque anticarum externo late rufo-brunneo; omnibus infra corticinis striga communi tenui lineolaque discoidali posticarum flavescentibus; macula ad angulum ani nigro-fusca caeruleo-subtincta. Long. al. exp. 40 millim.

Papilio alcides CRAM. Uitl. Kap. t. 98 fig. D. E.
Hesperia alcides FABR. E. S. III. 1. 283. 36.
Hesperia silenus FABR. E. S. III. 1. 330. 253.
Myrina alcides GOD. Encycl. Meth. IX. 594. 4.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. Specimen unicum.

2. *L. dermaptera* n. sp. alis caudatis (?), supra nigro-fuscis, in disco hinc inde caeruleo-squamulatis; infra griseo-fuscis, marginibus tenuissime fulvidis, posticis ad angulum ani brunneis strigisque abbreviatis nigris 2, albo-terminatis. Long. al. exp. 38 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Alæ posticæ caudatæ (?), sed specimen ad angulum ani alarum valde læsum. Alæ omnes supra nigro-fuscæ, tantum in disco squamis hinc inde accervatis caeruleis obsitæ. Omnes infra griseo-fuscæ; anticæ secundum marginem anticum et exteriorem, sed posticæ secundum marginem exteriorem et internum, attamen sat tenue, fulvescentes. Alæ posticæ infra ad angulum ani maculam magnam et elongatam brunneam, hinc inde caeruleo-notatam, gerunt. Intra hanc maculam in fundo cinereo striga nigra undata, ad costam 7:mam desinens, observatur, et intra illam striga altera iterum nigra, introrsum albido-terminata, a costa 9:na ad costam 6:tam arcum magnum formans, ut maculæ brunneæ sit ad finem propior, quam ad marginem internum.

Gen. THECLA. (FABR.) WALLENGR.

A.) *Oculi nudi.*

1. *Th. jolaus* (CRAM.): alis integris, supra testaceo-fuscis, anticis utrinque ocellis 2 nigris, albo-circumcinctis, posticis supra ocellis 3; omnibus infra cinerascentibus, posticis puncto obsoleto nigro versus marginem exteriorem. ♀. Long. al. exp. 32 millim.

Papilio jolaus CRAM. Uitl. Kap. t. 270. fig. F. G. Text. III. 141.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

2. *Th. lara* (LIN.): alis integris, supra testaceo-fuscis, ad basin argenteo-micantibus, anticis utrinque ocellis 2 nigris, albido-circumcinctis, posticis supra ocellis 2; omnibus infra canescentibus, posticis striga interrupta fusca. ♀. Long. al. exp. 25 millim.

Papilio lara LIN. S. N. 2. 528. 258.
Hesperia lara FABR. E. S. III. 1. 315. 191.
Polyommatus lara GOD. Encycl. Meth. IX. 675. 179.
Papilio gorgias STOLL. Suppl. t. 33. f. 5. et 5. d. (secund. God.)

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

B.) *Oculi hirti.* (*Jolaus* AUCT.)

3. *Th. orejus* (HPFR.): alis bicaudatis, supra fuscis, *maris* violaceo-micantibus, ocellis analibus nigris utrinque 3, fulvo l. albo-circumcinctis, posticis *feminæ* fasciis 2 albis, confluentibus; omnibus infra canis lineola cellulari strigisque 2 parallelis punctoque basali posticarum ferrugineis, obsolete albo-marginatis, ocellisque 2. Long. al. exp. 30 millim.

Jolaus orejus HOPFFER. Monatsber. d. K. Preuss. Acad. d. Wiss. 1855. 641. 15.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Mas. Alæ supra fuscæ, certo situ violaceo-micantes; posticæ, ad basin obscure caerulescentes, in margine ipso exteriore lineam nigram, præsertim versus angulum ani utrinque albo-limbatam, gerunt et intra illam ocellos 3 nigros, ad angulum ani sitos, quorum externus antice est fulvo-marginatus, reliqui tamen albo-marginati. Caudæ sat longæ, sed graciles, nigræ, albo-ciliatæ. Alæ omnes sunt infra canæ et ad finem cellulæ lineolam rectam ferrugineam, obsolete albido-marginatam gerunt; posticæ punctum ejusdem coloris inter costas 1—2 prope basin ostendunt. Striga ejusdem coloris extra cellulam per alas omnes se extendit, sed inter costas 7—8 alarum posticarum valde angulata. Hæc striga e striolis brevibus, inter costas sitis, proprie est composita. Extra illam striga altera communis ejusdem coloris, sed obsoletior et undulata adest. In ipso margine exteriore linea tenuis, in alis anticis fusca sed in posticis nigra et utrinque albo-limbata, observatur. Intra illam ad angulum ani adsunt ocelli duo nigri, antice fulvo-marginati. Fundus inter ocellos argenteo-caeruleo hinc inde squamulatus. Cilia fuscescentia, versus angulum ani alarum posticarum albescentia. Mas antea non descriptus.

Femina mari similis, sed color alarum supra fuscus, nec violaceo-micans. Alæ posticæ fascias duas albas prope marginem exteriorem supra gerunt, quarum interior est latior et in alas anticas usque ad costam 3:tiam obsolete et indeterminate producta. Fascia exterior ad ocellum externum desinit, et tantum per strigam tenuissimam coloris fundi ab interna est separata, ut antice fere cum illa confluat. — Species maximam affinitatem cum *P. eurylo* (GOD. Encycl. Meth. IX. p. 633) habere videtur.

4. *Th. hirundo* n. sp. alis longe caudatis, supra nigro-fuscis, *maris* violaceo haud micantes, anticis utrinque ocello postico nigro, albido-circumcincto; posticis supra ocellis nigris, albo-circumcintis, *feminæ* serie macularum albidarum; omnibus infra albido-canis lineola cellulari, strigis 2 communibus, punctis 2 costalibus anticarum punctoque basali posticarum ferrugineis, obsolete albo-limbatis; ocello anticarum ocellisque 2 posticarum nigris. Long. al. exp. 25 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Mas. Alæ supra nigro-fuscæ, haud violaceo-nitentes; anticæ ocellum nigrum obsoletiorem albido-circumcinctum ad angulum posticum gerunt; posticæ, versus marginem interiorem canescentes, maculas ocelliformes nigras, albido-circumcinctas, secundum marginem exteriorem gerunt, quarum tantum 2, angulo ani proximæ, sunt distinctæ, sed reliquæ obsoletæ, haud distinguendæ; intra illas series obsoletissima linearum albidarum. Cauda longa, ex angulo ani oriens, alba, linea fusca per totam longitudinem notata. Alæ omnes sunt infra albido-canæ; ad basin alarum posticarum punctum ut in specie præcedente et ad marginem anticum alarum anticarum, extra

cellulam, puncta 2 ferruginea, obsolete albido-marginata; ad finem cellulæ alarum omnium et marginem internum et anticum alarum posticarum lineola ferruginea; linea cellularis in medio albido-notata, reliquæ obsolete albo-marginatæ. Per discum alarum omnium striga ut in specie præcedente se extendit, sed in posticis tantum inter costas 7—8 rotundato-angulata. Extra hanc strigam altera adest, quæ e lunulis ferrugineis est composita et obsoletior quam interna. Ad angulum posticum alarum anticarum ocellus niger haud albido-circumcinctus, et ad angulam ani alarum posticarum maculæ duæ nigræ, antice fulvido-limbatæ. In ipso margine exteriore linea, in alis anticis ferruginea, in posticis nigra. Cilia alarum anticarum supra fusca, infra ferruginea; alarum posticarum utrinque albida.

Femina mari similis, sed color alarum supra fuscus, et ocelli cum seriè alba ante illos distinctiores. Ante ocellum alarum anticarum interdum alter obsoletus observatur.

Gen. MYRINA. FABR.

1. *M. pallene* n. sp. alis bicaudatis, utrinque albido-flavis apice anticarum supra fusco; omnibus infra striga communi, in posticis angulata et interrupta, lineolaque discoidali anticarum nigris. ♀. Long. al. exp. 45 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Alæ supra albido-flavæ, posticæ versus angulum ani fulvescentes; anticæ in apice sat late fuscæ, qui color secundum marginem exteriorem usque ad exitum costæ 8:væ se extendit. In pagina inferiore sunt alæ ut in pagina superiore coloratæ, sed color saturatior et alæ posticæ versus angulum ani magis fulvescentes. In margine exteriore harum alarum adsunt maculæ 2 nigræ, altera minuta inter exitum costarum 6—7, altera major et elongata in ipso angulo ani; hæc etiam in pagina superiore observatur. Striga communis per discum omnium alarum nigra, in posticis inter costas 7—8 valde interrupta et angulata. Ad finem cellulæ anticarum lineola transversa ejusdem coloris occurrit. Signaturæ illæ in pagina superiore obsoletissime perlucent. Caudæ graciles, utrinque nigræ, longitudinem abdominis haud superantes. Cilia utrinque nigrescentia.

Gen. LYCÆNA. FABR.

A.) *Alæ infra albo-variegatæ, absque punctis nigris sparsis. Oculi hirti.*

I. *Alæ posticæ caudatæ.*

1. *L. boetica* (LIN.): alis unicaudatis, omnibus infra cinereis, albido-undulatis; posticis fascia integra alba, ocellisque anguli ani nigris, antice fulvo-iridatis, postice argenteo-limbatis.

Mas: alis supra caeruleo-violaceis, limbo tenui fusco; posticis punctis 1—2 subocellaribus nigris in angulo ani.

Femina: alis supra fuscis, disco caerulescente, posticis fascia maculari obsoleta discoidali albida, maculis 2—3 nigris, albido-circumcinctis, analibus.

Papilio boeticus LIN. S. N. I. 2. 789. 226. HÜBN. Pap. t. 74. f. 373—375. ESP. Schm. I. t. 27. S. III. f. 3. a. b. p. 319. t. 91. C. 91. f. 3. p. 181.
Hesperia boetica FABR. E. S. III. 1. 280. 77.
Polyommatus boeticus GOD. Encycl. Meth. IX. 653. 122. GUÉRIN. Voy. en Abyss. par Lefebv. p. 383.
Lycæna boetica OCHS. Schm. I. 2. 99. IV. 27. X. 1. 77. BOISD. Fn. de Madag. p. 23. Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. 588. 44. LUCAS Expl. Scientif. de l'Alg. III. p. 361. 41. GERH. Lycænen. t. 11. f. 1.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. In Terra Amazulorum. DELEGORGUE.

2. *L. telicanus* (HERBST.): alis unicaudatis, infra fusco-cinereis, catenulis albis, posticis striga lunularum albarum, maculis analibus 2 nigris, argenteo-limbatis, antice anguste fulvo-cinctis.

Femina: alis supra fuscis, disco caerulescenti, anticis maculis fuscis, hinc inde albido-limbatis, posticis maculis marginalibus fuscis, albido-circumcinctis, quarum 2 analibus nigris.

Papilio telicanus HERBST. Schm. t. 305. f. 6—9. HÜBN. Pap. t. 74. f. 371. 372. t. 108. f. 553. 554. Text. p. 56.
Polyommatus telicanus GOD. Encycl. Meth. IX. 655. 128.
Lycæna telicanus OCHS. Schm. I. 2. 102. IV. 27. X. 1. 78. BOISD. Fn. d. Madag. p. 24. LUCAS Expl. Scient. de l'Alg. III. 361. 42. GERH. Lycænen t. 11. f. 2.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

3. *L. lingeus* (CRAM.): alis unicaudatis, anticis infra fuscis fasciolis plus minus abbreviatis concoloribus, albo-marginatis; posticis albido-cinerascentibus fasciis transvervis 2 interruptis, albido-marginatis, ocellisque 2 analibus nigris, tenuissime fulvo-iridatis, aureo-pustulatis; ciliis albis, fusco-maculatis.

Mas: alis supra caerulescenti-violaceis, signaturis paginæ inferioris obsoletissime perlucentibus.

Femina: alis supra fuscis, disco plus minus caerulescente, posticis puncto anali nigro, albido-circumcincto.

Papilio lingeus CRAM. Uitl. Kap. t. 379. fig. F. G.
Polyommatus lingeus GOD. Encycl. Meth. IX. 656. 130.
Lycæna lingeus BOISD. Voy. de l'Afr. Austr. p. Deleg. II. 588. 38.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. In Terra Amazulorum. DELEGORGUE.

II. *Alæ ecaudatæ.*

4. *L. sichela* n. sp. alis ecaudatis, infra fuscescentibus, tenuissime albido-undulatis, posticis punctis duobus analibus nigris angulisque duplicatis marginalibus tenuissimis albidis. Long. al. exp. 27 millim.

Mas: alis supra obscure violaceo-caerulescentibus.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Alæ ecaudatæ, supra obscure violaceo-caerulescentes, fere ut in *Z. quercus*, sed nonnihil obscuriores, et ad marginem exteriorem obsoletissime fuscescentes. Margo ille ipse tenuissime fuscus. Alæ infra fuscescentes, in canescentem obsolete vertentes, tenuissime albido l. pallide undulatæ; undulæ alarum anticarum discoidales 4 per paria sitæ, cellulam postice non superantes, et 2 extra cellulam transversæ, e lineolis parallelis transverse positis formatæ; in margine harum alarum exteriore undulæ iterum 2 approximatæ, ex arcubus inter costas compositæ. Undulæ alarum posticarum 3 ad basin parallelæ, 2 a margine antico egredientes et ad costam 4:tam desinentes et anastomosantes, et denique duæ a margine interno egredientes ad costam 3 desinentes, invicem divergentes, ut undulas a margine antico egredientes sicut forfice amplectantur. De cetero series duplex angulorum ejusdem coloris in margine externo adest, quarum interior angulis acutis formatur. Undulæ omnes tenuissimæ. Versus angulum ani alarum posticarum puncta 2 minuta nigra observantur, quorum unum in pagina superiore alarum etiam quamvis obsoletissime observatur. Cilia fuscescentia, apicibus pallidis.

B.) *Alæ infra punctis l. maculis nigris sparsis ornatæ, fascia l. maculis marginalibus fulvis carentes.*

I. *Oculi nudi.*

1) *Alæ posticæ caudatæ.*

5. *L. sybaris* (HPFR.): alis caudatis infra flavescenti-albis, fasciola baseos anticarum obliqua punctisque omnium rotundatis nigris, exterioribus biseriatis, tribus analibus postice argenteo-limbatis.

Mas: alis supra caeruleis margine exteriore late maculaque discoidali anticarum nigris; margine posticarum linea alba notato.

Lycæna sybaris HOPFFER. Monatsber. d. K. Preuss. Acad. d. Wiss. 1855. 642. 19.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. L. theophrasto (FABR.) maxime affinis, sed vix ejus varietas; differt maculis nigris paginæ inferioris fere omnibus rotundatis, colore paginæ superioris omnino caeruleo margineque exteriore late nigro, in alis posticis linea integra alba notato. Caudæ alarum ut in specie memorata. Alæ omnes supra caeruleæ, in virescentem minime vertentes, margine externo late nigro, ad angulum posticum alarum anticarum latiore quam ad apicem, in alis posticis linea alba per totam longitudinem intersecto. Exitus alarum niger. Ad finem cellulæ alarum anticarum macula sat magna nigra. Alæ omnes infra flavescente-albæ, signaturis nigris fere ut in *L. theophrasto* et *psittaco*, sed signaturæ illæ omnes rotundatæ et invicem late disjunctæ, præsertim in alis posticis; maculæ tantum discoidales alarum anticarum angulatæ. Puncta 3 analia posticarum postice argenteo-limbata. Cilia alarum anticarum fuscescentia, versus apicem alarum pallescentia; posticarum albescentia, obsolete fusco-maculata.

Femina secundum HOPFFER alas gerit supra fuscas, ad basin caeruleas, maculis disci lunulisque marginalibus bifariis albis notatas.

6. *L. calice* (HPFR.): alis caudatis, infra albis, anticis fascia basali obliqua, fasciolis transversis punctis marginalibus seriatis nigris; posticis maculis basalibus marginalibusque punctisque seriatis nigris, marginalibus plus minus sordide caeruleis.

Mas: alis supra nigro-fuscis, anticis macula discoidali biloba maculaque intramarginali subquadrata albis; posticis fascia transversa alba, ad marginem interiorem nigro-lineolata.

Lycæna calice HOPFFER. Monatsber. d. K. Preuss. Acad. d. Wiss. 1855. 642. 18.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Alæ omnes supra nigræ, in fuscedinem nonnihil vergentes; anticæ maculam magnam albam bilobam in disco maculamque alteram subquadratam minorem intra marginem exteriorem gerunt; vestigium obsoletum maculæ albæ versus basin etiam ostendunt. Alæ posticæ fasciam latam albam, marginem anticum non attingentem, habent, sed hæc fascia versus marginem exteriorem sinum in fuscedine format, et ad medium marginis interni lineola nigra et postice lineola altera longiore ejusdem coloris. In margine ipso lineola alba observatur et series intra illam obsoleta punctorum nigrorum. Caudæ alarum posticarum nigræ. Alæ omnes sunt infra albæ; anticæ fasciolam obliquam ad basin nigram omnino ut in *L. theophrasto* gerunt, sed hæc fascia in macula marginis antici desinit; ad medium marginis antici macula ejusdem coloris, quæ fasciolam brevem per cellulam emittit; intra medium marginis interioris fasciola altera ad cellulam egreditur; pone medium ejusdem marginis iterum fasciola, ad costam 3:tiam tendens, observatur; denique fascia continua nigra, oblique arcuata, a margine antico usque ad angulum posticum se extendit; hæc fascia prope apicem macula transverse posita extrorsum notatur; extra hanc fasciam macula nigra costalis prope apicem locum tenet et lineolæ nonnullæ nigræ tenues seriatæ intra seriem marginalem punctorum nigrorum observantur. Alæ postice maculas gerunt nigras elongatas ad basin, ad angulum anticum et ad angulum posticum; in margine ipso exteriore series punctorum nigrorum, præsertim quatuor plus minus argenteo-caeruleo-micantium adest. Cilia fuscescentia, apicalia albicantia; anticarum infra fusco-maculata.

7. *L. rosimon* (FABR.): alis caudatis, infra albis, fasciola baseos obliqua anticarum maculisque discoidalibus omnium hinc inde quadratis et confluentibus nigris; margine exteriore omnium serie nigra punctorum et altera lunularum; punctis analibus 2—3 sordide caeruleo-argenteis.

Femina: alis supra fuscis, basi argenteo-caeruleis, disco albo, nigro-maculato; posticis serie punctorum nigrorum, albo-circumcinctorum; ciliis albis, anticarum fusco-maculatis.

Hesperia rosimon FABR. E. S. III. 1. 288.
Papilio coridon CRAM. Uitl. Kap. t. 340. fig. C. D. E.
Polyommatus rosimon GOD. Encycl. Meth. IX. 658. 141.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Obs. Cauda et antennæ nostri specimini unico desunt.

2) *Alæ posticæ ecaudatæ.*

8. *L. lysimon* (HOFFM.): alis ecaudatis, infra canis macula discoidali ferruginea, albido-limbata, anticis serie punctorum valde arcuata punctisque 2 costalibus nigris, albido-circumcinctis; posticis punctis basalibus serieque punctorum nigrorum extra-cellulari valde arcuata nigris; omnibus serie marginali arcuum alteraque punctorum fuscorum.

Mas: alis supra violaceo-caeruleis, anticarum margine exteriore apiceque late fuscis.

Papilio lysimon HÜBN. Schm. t. 105. f. 534. 535.
Lycæna lysimon OCHS. Schm. I. 2. 24. 10. GERH. Lycænen. t. 15. f. 2.
Polyommatus lysimon GOD. Encycl. Meth. IX. 701. 240.
Argus lysimon BOISD. Fn. de Madag. p. 23. Icon. Lepid. nouv. p. 174. t. 17. f. 7. 8.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

II. *Oculi hirti. Alæ posticæ ecaudatæ.*

9. *L. moriqua* n. sp. alis ecaudatis, infra albidis, anticis fasciola obliqua baseos, puncto cellulari, fasciola ad finem cellulæ, fascia transversa apicis, lineaque intramarginali fuscis, serieque marginali punctorum minutorum nigrorum; posticis fasciola baseos, punctis 4—5 basalibus, serieque punctorum hinc inde confluentium, discoidali nigris, lunula discoidali lineaque intramarginali ferrugineis, punctisque marginalibus nigris, intermediis evanescentibus, et 2 analibus sordide caeruleis. Long. al. exp. 22 millim.

Mas: alis supra violaceo-caeruleis margine exteriore late fusco, indeterminato.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Sequenti simillima est species, at minor et haud ejus varietas. Color paginæ superioris obscurior, violaceo-caeruleus; margo exterior latior, fuscus, introrsum indeterminatus; puncta marginalia alarum posticarum nulla. Alæ anticæ infra omnino ut in sequente coloratæ et signatæ, sed signaturæ multo tenuiores. Alæ posticæ etiam ut in specie memorata, sed basis minime caerulea, lunula ad finem cellulæ gracillima et extra cellulam nulla fascia sed series valde arcuata punctorum, hinc inde confluentium. Puncta 2 analia sordide caerulea, sed introrsum minime fulvo-limbata.

C) *Alæ infra punctis nigris sparsis plus minus ornatæ; posticæ fascia l. maculis marginalibus fulvis.*

I. *Oculi hirti.*

1) *Alæ ecaudatæ.*

10. *L. jesous* (GUÉRIN): alis ecaudatis, infra albidis, anticis fasciola obliqua baseos, puncto cellulari, fasciola ad finem cellulæ, fascia transversa apicis lineaque intramarginali brunneo-fuscis, serieque marginali punctorum nigrorum; posticis fasciola baseos, punctis 4—5 basalibus, punctoque costali nigris, fascia extra-cellulari, bis interrupta, lineola cellulæ, lineaque continua intramarginali brunneo-fuscis, punctisque marginalibus nigris, intermediis evanescentibus, et 2 analibus sordide caeruleis, antice fulvo-limbatis; basi posticarum caeruleo-æruginosa.

Mas: alis supra caeruleis margine tenuissime nigrescente, punctisque analibus 2 nigris, obsoletis.

Femina: alis supra fuscis, disco albicante, anticis macula discoidali fusca, posticis punctis marginalibus fuscis, obsoletis.

Polyommatus jesous GUERIN. Voy. en Abyss. par Lefebv. p. 383. t. 11. f. 3. 4. ♂.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Femina, non antea descripta, infra mari simillima est, sed alæ supra sunt fuscæ, ad basin haud caeruleæ, in disco albescentes. Alæ anticæ maculam fuscam in disco et puncta obscuriora, sat obsoleta, in margine externo gerunt; posticæ punctis marginalibus similibus, introrsum albido-limbatis notantur. Basis alarum posticarum infra minus caeruleo-æruginosa quam apud marem.

11. *L. amarah* (GUÈRIN): alis posticis denticulato-subcaudatis, omnibus infra pallide cinerascentibus, anticis macula magna recta abrupte truncata baseos nigra, fasciisque extra-cellularibus fuscis, albido-marginatis; posticis punctis 4 baseos duobusque costalibus nigris, fasciis extra-cellularibus fuscis albo-limbatis, punctisque 2 analibus nigris, sordide caeruleis, antice fulvo-limbatis, exteriore majore.

Femina: alis supra pallide fuscis, posticis arcubus biseriatis, lineaque marginali albis, ocellisque 2 analibus nigris antice fulvo-iridatis.

Polyommatus amarah GUÈRIN. Voy. en Abyss. par Lefebv. p. 384. t. 11. f. 5. 6. ♀.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

2) *Alæ caudatæ.*

12. *P. asteris* (GOD.): alis caudatis, infra cinereis serie extra-cellulari communi annulorum albidorum, annuloque discoidali albo, serieque duplici intramarginali arcuum alborum; posticis punctis 5—6 baseos nigris ocellaribus, ocellisque 2—3 analibus nigris, sordide caeruleo-argenteis, introrsum fulvo-iridatis, exteriore majore.

Mas: alis supra argenteo-caeruleis, margine tenuissime fusco, lineola transversa discoidali anticarum punctoque anali posticarum nigris.

Femina: alis supra fuscis, disco caeruleo, macula discoidali anticarum magna, maculis discoidalibus posticarum minoribus nigris; posticis serie intramarginali arcuum albidorum ocelloque nigro, introrsum fulvo-iridato.

Polyommatus asteris GOD. Encycl. Meth. IX. 657. 137.
Lycæna asteris BOISD. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 588. 40.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. Ad Portum Natal. DELEGORGUE.

II. *Oculi nudi. Alæ posticæ ecaudatæ.*

13. *L. cissus* (GOD.): alis ecaudatis infra cinerascentibus, anticis puncto cellulari, lineola transversa discoidali, punctisque extra-cellularibus, transverse seriatis nigris, albido-circumcinctis; posticis punctis 3 baseos, lineola discoidali punctisque seriatis extra-cellularibus nigris, albido-circumcinctis, minoribus, arcubus analibus latis fulvis, puncto unico nigro, sordide aureo, notatis.

Mas: alis supra caeruleo-violaceis, margine exteriore tenue fusco; posticis arcubus analibus fulvis, puncto unico nigro notatis.

Polyommatus cissus GOD. Encycl. Meth. IX. 683. 210.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. Specimen unicum.

14. *L. trochilus*

14. *L. trochilus* (Friv.): alis ecaudatis, infra fuscescentibus, anticis annulo discoidali albo, serie arcuata extra-cellulari punctorum nigrorum albido-limbatorum, serie duplici intra-marginali arcuum albidorum lineaque marginali alba; posticis punctis 4 baseos transverse seriatis punctoque costali nigris, albo-limbatis, annulo discoidali, annulis extra-cellularibus seriatis, arcubus biseriatis intra-marginalibus lineaque marginali albis, punctisque 3 nigris analibus, introrsum late fulvo-iridatis, extrorsum argenteo-limbatis.

Femina: alis supra fuscis, posticis maculis analibus subtribus fulvis, punctis totidem nigris notatis.

Lycæna trochilus Friv. H—S. Schm. 224—226. Gerh. Lycænen. t. 16. f. 3.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Specimen unicum.

15. *L. messapus* (God.): alis ecaudatis, infra cinereo-fuscescentibus, lineola discoidali, punctisque seriatis obscurioribus, albido-limbatis, arcubusque marginalibus biseriatis albidis; posticis punctis duobus costalibus punctoque cellulari nigris, albido-limbatis, punctoque subanali nigro, antice fulvido-iridato.

Mas: alis supra violaceis, margine exteriore fusco, posticis puncto subanali nigro, minuto, obsoletius fulvescente-limbato.

Polyommatus messapus God. Encycl. Meth. IX. 682. 205.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Obs. Specimina nostra cum descriptione *Godarti* optime conveniunt, sed punctum versus basin in cellula alarum posticarum infra gerunt, de quo nullam mentionem fecit auctor.

16. *L. mahallakoæna* n. sp. alis ecaudatis, infra canescente-cinereis lineola discoidali punctisque seriatis extra-cellularibus arcubusque et punctis marginalibus fuscis, albido-limbatis; posticis punctis 2 costalibus punctoque cellulari nigris, albido-limbatis, arcubus 2 analibus fulvis punctoque violaceo-nigro magno. Long. al. exp. 22—25 millim.

Mas: alis supra caeruleo-violaceis disco toto fulvescente-flavo, extrorsum radiante, posticis arcubus marginalibus 2—3 fulvescente-flavis, puncto adjecto nigro, postice albido limbato.

Femina: alis supra fuscis, posticis arcubus 2—3 fulvis, punctis adjectis 1—2 nigris, extrorsum albido-limbatis.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Descr. Mas. Alæ anticæ supra caeruleo-violaceæ, fere ut in *L. aquilone;* discus totus cum costa 1:ma alarum anticarum fulvescente-flavus, extrorsum radians, sed radii marginem exteriorem non attingunt. In colore illo lineola obsoletissima fusca ad finem cellulæ interdum adest. Alæ posticæ in disco tantum plus minus fulvescente-flavo-atomatæ, sed ad marginem externum versus angulum ani arcus 2—3 fulvos gerunt, quorum intermedius puncto sat magno nigro l. violaceo-nigro, extrorsum plus minus albido-limbato notatur. Margo exterior alarum omnium tenuissime fuscus. Alæ omnes sunt infra canescente-cinereæ lineola l. arcu discoidali, fuscescente et albido-limbato notatæ; anticæ seriem punctorum 6 fuscorum, albido-limbatorum, omnino ut specie præcedente gerunt, et margo exterior serie arcuum fuscescentium, albido-limbatorum obsoletiorum punctisque adjectis ejusdem coloris notatur. Alæ posticæ seriem punctorum extra cellulam omnino ut in præcedente gerunt, quorum primum, costale, nigrum, reliqua tamen sunt fuscescentia, sed omnia albido-limbata; series illa ad costam 3:tiam et 7:mam abrupto-interrupta, ut puncta 2 antica ab reliquis sint remota; punctum ultimum etiam ab reliquis remotum, arcum minutum in medio marginis interni format; ad basin puncta 2 nigra, albido-limbata occurrunt, quorum alterum prope marginem anticum, alterum in cellula ipsa; punctum tertium minutissimum in ipso margine interno inter-

dum observatur. Arcus seriati fuscescentes, albido-limbati, punctis adjectis ejusdem coloris ad marginem exteriorem observantur, sed 2 horum arcuum fulvi et internus eorum puncto magno violaceo-nigro notatur. Cilia grisescentia.

Femina infra mari simillima, sed alæ omnes supra fuscæ et posticæ versus angulum ani maculas 2—3 magnas fulvas, arcuatas, confluentes gerunt, quarum interior puncto nigro, exterior puncto fusco, extrorsum albo-limbatis notantur. In angulo ani lineola alba observatur.

Gen. ARHOPALA. Boisd.

1. *A? leroma* n. sp. alis caudatis supra fuscis, omnibus infra argillaceo-griseis, anticis maculis obsolete argenteis, discoidalibus nigro-limbatis, serieque duplici extra-cellulari punctorum difformium nigrorum; posticis macula nigra ad angulum ani. ♀. Long. al. exp. 30 millim.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Descr. Oculi nudi. Costa 7:ma alarum anticarum biramosa. Forma alarum fere ut in genere Theclarum, sed palpi elongati, porrecti, fere ut in *Myrina*. Antennarum clava haud ulla. Alæ supra pallide fuscæ, certo situ nitentes; ad angulum ani vestigium maculæ argillaceæ et alæ anticæ ad finem cellulæ macula obsoleta fusca. Alæ omnes infra argillaceæ, posticæ magis grisescentes; anticæ in cellula puncta 2 nigra, sordide argentea, ad finem ejusdem cellulæ lineolam argenteam extrorsum et introrsum nigro-limbatam et prope marginem anticum puncta 2 argentea, haud nigro-limbata gerunt. Extra cellulam series duplex arcuata punctorum difformium nigrorum, per paria inter costas sitorum, adest; ad marginem exteriorem series duplex lineolarum fuscarum obsoletissimarum, haud argenteo-notatarum observatur. Alæ posticæ punctum minutissimum fuscum ad basin cellulæ gerunt; circulis obsoletissimis serieque undularum fuscis notantur; series illa undularum extra cellulam sita est et terminum posticum macularum pallidiorum obsoletissimarum constituit. Extra hanc seriem series altera obsoletissima undularum fuscarum, sordide argentearum, et in disco squamulæ hinc inde argenteæ adsunt. In ipso angulo ani macula nigra. Cilia supra albescentia, infra fundi colore.

Gen. POLYOMMATUS. (Latr.)

1. *P. orus* (Cram.) alis integris supra fulvis, aureo-nitentibus, margine sat tenui nigro; anticis puncto discoidali punctisque 5 seriatis extra-cellularibus nigris; posticis lineola tenui discoidali, punctisque 2 minutissimis nigris; anticis infra fulvis, apice margineque cinereis, punctis tribus cellularibus punctisque seriatis 5—6 nigris, albo-limbatis; posticis infra griseis, punctis obscurioribus pallide marginatis, sparsis, obsoletis, strigaque postica e lunulis fuscescentibus. ♀.

Papilio orus Cram. Uitl. Kap. t. 332. fig. E. F.
Polyommatus orus God. Encycl. Meth. IX. 672. 172.
Hesperia arcas Fabr. E. S. III. 1. 311. 179.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Gen. CYGARITIS. Lucas.

Obs. Hoc genus costam 7:mam alarum anticarum triramosam habet.

1. *C. thisbe* (Lin.): alis dentatis, angulo anali producto, subcaudato; omnibus supra fulvis margine exteriore fusco, punctisque nigris ornatis, basique late argenteo-caeruleo in mare; anticis infra fulvis maculis nigris, quarum cellularibus sordide argenteis; posticis infra ferrugineis, flavido-variegatis et striatis aureoque maculatis. ♂.

Papilio thisbe Lin. S. N. 2. 789. 228.
Hesperia thisbe Fabr. E. S. III. 1. 292. 114.
Papilio nais Cram. Uitl. Kap. t. 47. f. D. E.
Hesperia nais Fabr. E. S. III. 1. 292. 115.
Papilio palmus Cram. t. 341. f. F. G.

Polyommatus thisbe God. Encycl. Meth. IX. 663. 157.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

2. *C. aranda*. n. sp. alis angulo anali producto, subcaudato, supra fulvo-ochraceis, anticis margine exteriore maculaque marginis antici fuscis; posticis macula anguli antici fusca; anticis infra fulvis, maculis nigris, sordide argenteis; posticis infra brunneis punctis obsoletissimis argenteis. ♂. Long. al. exp. 27 millim.

Polyommatus evadrus God. Encycl. 671. var. 3.??

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Descr. Maximam affinitatem cum *P. nyceto* Cram. t. 380 habet si paginam alarum superiorem modo adspicere velis, pagina inferior tamen alarum longe discrepat. Forte var. 3. a Godart l. c. descripta, eadem est. Alæ posticæ angulo anali producto ut in specie præcedente. Alæ omnes supra fulvo-ochraceæ; anticarum margo exterior fuscus, qui color versus apicem sensim est latior et cum macula sat magna ejusdem coloris marginis antici cohærit. Hæc macula costam 6:tam introrsum non superat. Margo anticus a basi usque ad medium fundo concolor. Alæ posticæ in margine antico prope angulum anticum maculam fuscam gerunt. Alæ anticæ sunt infra fulvæ, sed ad marginem anticum et apicem late purpurascente-brunneæ; in disco maculæ l. puncta nigra 7—8, sordide argentea et versus marginem exteriorem inter costas 1—4 puncta alia sed nigra adsunt. Color purpurascente-brunneus est impunctatus. Alæ posticæ infra purpurascente-brunneæ, maculis, punctis l. lineolis obsoletis, argenteis ornatæ. Cilia supra fusca, infra purpurascente-brunnea.

3. *C. malagrida* n. sp. alis dentatis, angulo ani producto, supra fuscis; anticis macula discoidali, posticis maculis 4 seriatis posticis fulvis; anticis infra fulvis, maculis 3 cellularibus albis, apice fusco-griseo, albido-maculato; posticis infra fuscis, albido-argenteo-variis. ♂. Long. al. exp. 30 millim.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Descr. *P. evadro* God. affinis videtur sed certe alia species. Alæ denticulatæ, posticæ angulo ani producto, sed haud subcaudato. Alæ omnes supra fuscæ, versus basin nonnihil grisescentes; anticæ maculam indeterminatam, fulvam, inter costas 2—4 extra cellulam, et alæ posticæ maculas ejusmodi 4 inter costas 4—8, costis illis disjunctas, gerunt. Alæ anticæ sunt infra fulvæ, in apice et secundum marginem exteriorem usque ad costam 2:dam fusco-griseæ. In cellula puncta 3 alba, obsoletissime argentea, fusco haud limbata gerunt; in apice alarum maculæ difformes albidæ, obsoletissime argenteo-nitentes observantur, sed tantum nonnullæ earum extrorsum nigrescente-limbatæ. Signaturis aliis alæ anticæ omnino carent. Alæ posticæ sunt infra fuscæ punctis 1—2 albidis obsolete argenteo-micantibus in cellula notatæ; ad finem cellulæ macula trigona sat magna ejusdem coloris et extra cellulam series transversa arcuum ejusmodi coloratorum observantur; de cetero arcus, lineolæ et signaturæ variæ ejusdem coloris hinc inde observantur. Cilia utrinque fusca, albo-maculata.

4. *C. taïkosama* n. sp. alis integris, posticis subcaudatis, omnibus supra fuscis, anticis macula obsoletissima fulvida extra cellulam, posticis fascia marginali fulva, nigro-punctata; anticis infra fulvescentibus, maculis plurimis nigris sordide argenteo tinctis, exterioribus seriatis; posticis grisescentibus, maculis plurimis argenteis, obsoletioribus. ♀. Long. al. exp. 34 millim.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Descr. Forma et colore paginæ superioris alarum hæc species generi *Lycænarum* aut *Theclarum*, sed forma partium corporis et ramificatione costarum omnino huic generi affinis. Alæ integræ videntur, sed posticæ speciminis nostri margine sat læsæ; caudam tamen brevem ut species *Lycænarum* gerere videntur. Alæ supra fuscæ; anticæ extra cellulam vestigium obsoletum fasciolæ transversæ et indeterminatæ, fulvidæ, et posticæ fasciam latam fulvam, nigro-punctatam secundum marginem exteriorem gerunt. Alæ anticæ sunt infra fulvescentes, maculis 3 oblongis argenteis, nigro-limbatis in cellula notatæ; de cetero occurrunt maculæ nigræ, sordide argenteo tinctæ ut sequitur: pone maculam intermediam cellulæ macula unica, sordide argentea, extra cellulam maculæ 7, angulatim seriatæ, quarum anticæ 2 inter costas 7—9 minutæ, sed reliquæ sat magnæ; extra hanc seriem macula minor inter costas 6—7 et maculæ 6 seriatæ, quarum anticæ minores. Prope marginem ipsum exteriorem series lineo-

larum fuscarum, antrorsum evanescentium. Alæ posticæ magis grisescentes maculis obsoletioribus, hinc inde confluentibus, argenteis, fusco-brunneo-marginatis, in disco sparsis, de cetero tamen seriatis; versus marginem exteriorem puncta haud distinguenda fusca adsunt. Cilia alarum anticarum utrinque fuscescentia; posticarum grisescentia, sed in specimine nostro admodum detrita.

CHRYSORYCHIA. n. gen.

Antennæ extrorsum crassiores, clavam elongatam, cylindricam, obtusam, sat distinctam constituentes.

Palpi breviores, longitudinem capitis haud superantes. Articuli 2 basales crassiusculi, pilis brevibus dense ac subdepresse hirsuti; articulus ultimus cylindricus, acutus, fere nudus, articulo intermedio fere brevior.

Pedes nonnihil incrassati, breves, femora tibiis haud longiora.

Corpus crassum, alis posticis multo brevius. Caput inter antennas, in vertice et pone oculos pilis sat longis instructum. Thorax crassus, scapulis distinctis.

Oculi nudi.

Alæ anticæ plus minus acutæ; margo anticus ad basin arcuatus, in medio nonnihil excavatus; margo exterior ad costam 4:tam plus minus angulatus; margo interior fere rectus. Alæ posticæ denticulatæ; margo interior versus angulum ani sat excisus; angulus ille productus, interdum lobiformis, semper caudatus.

Costæ alarum ut in genere præcedente, sed costa 7:ma alarum anticarum simplex cum costa 6:ta trunco brevissimo interdum conjuncta.

1. *Ch. thyra* (Lin.): alis caudatis, supra fulvis, anticis maculis discoidalibus, punctis seriatis 5 margineque antico et exteriore fuscis; posticis margine antico punctisque seriatis fuscis; omnibus infra obscure ferrugineis, maculis numerosis nigris pupilla elevata argentea discoque anticarum fulvescente; posticis maculis punctisque l. lineolis argenteis, immarginatis. ♀.

   Papilio thyra Lin. S. N. 2. 789. 227.
   Hesperia thyra Fabr. E. S. III. 1. 314. 188.
   Polyommatus thyra God. Encycl. Meth. IX. 663. 156.

   Hab. in Caffraria. Wahlberg.

2. *Ch. tjoane* n. sp. alis caudatis, angulo ani sublobiformi, omnibus supra fulvis, anticis basi margineque antico et exteriore late fuscis, apud feminam punctis discoidalibus nigris notatis; infra ferrugineis, maculis nigris pupilla elevata argentea discoque anticarum fulvescente; posticis maculis punctisque l. lineolis argenteis, immarginatis. ♂ ♀. Long. al. exp. 30—32 millim.

   Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Descr. Præcedenti affinis, sed alæ acutiores, margo exterior anticarum fere rectus, haud angulatus et angulus ani posticarum sublobiformis, magis productus, caudam gracilem gerens. Alæ omnes supra fulvæ; posticæ unicolores, ad basin nigrescentes; anticæ ad basin, secundum marginem anticum et exteriorem late fuscæ, ut color fulvus maculam magnam a margine interno (ubi latiorem) in cellulam tendentem potius formet. *Femina* in colore fulvo alarum anticarum maculas nigras gerit, quarum 1 in cellula, cum colore marginis antici cohærentem, 2 ad finem cellulæ, invicem haud disjunctas, et 1 minutam foras locatam inter costas 1—2. *Mas* maculam vel punctum illum proxime memoratum tantum distinctum gerit, sed puncta ad finem cellulæ cum colore fusco cohærent ut punctum minutum fulvum includant. *Femina* marginem anticum alarum anticarum ad basin late fulvum gerit

ubi *mas* est fuscus. Alæ omnes infra omnino ut in specie præcedente; color fundi apud *marem* nonnihil obscurior, fere purpureus. Cilia alarum anticarum albescentia, posticarum apud marem fusca sed apud feminam fulvescentia.

SPINDASIS. n. gen.

Antennæ extrorsum sensim crassiores, clavam fusiformem, haud distinctam constituentes.

Palpi breviores, longitudinem capitis nonnihil superantes. Articuli 2 basales sat graciles, arcte conjuncti, squamati, minime pilosi; articulus ultimus nudus, gracillimus, versus apicem attenuatus, articulo intermedio multo brevior.

Pedes graciliores; femora tibiis longiora.

Corpus crassum, alis posticis multo brevius. Caput squamato-pilosum. Thorax crassus, scapulis haud distinctis.

Oculi nudi.

Alæ anticæ acutæ, formam fere generis præcedentis habent, sed marginem exteriorem gerunt rectum. Alæ posticæ marginem internum versus angulum ani nonnihil excisum, et marginem exteriorem bicaudatum gerunt. Caudæ graciles.

Costæ alarum ut in genere præcedente, sed costa 7:ma alarum anticarum bifurcata, cum costa 6:ta ex eodem loco (angulo antico cellulæ) egrediens.

1. *S. masilikazi* n. sp. alis infra albescente-flavidis, basi maculatis, fasciis discoidalibus 2 transversis nigro-marginatis, argenteo-signatis, altera in posticis interrupto-angulata, altera abbreviata, lineisque 2 intra-marginalibus, parallelis, nigris; posticis supra caerulescentibus, angulo ani fulvescente, punctis 2 nigris, sordide argenteo tinctis utrinque notato. Long. al. exp. 30—35 millim.

Mas: alis anticis supra fuscis macula extra cellulam minuta fulva, margineque interno late caeruleo.

Femina: alis anticis supra fuscis macula cellulari maculaque extra cellulam majore antice bifida fulvis; margine interno late caerulescente.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. S. vulcano LIN. (*Etolo* CRAM. t. 208. f. E. F.) certe affinis, sed minime ejus varietas.

Mas. Alæ anticæ supra fuscæ, ad basin et marginem internum caeruleæ, qui color in cellulam antice se extendit; extra cellulam macula inter costas 4—6 subquadrata sat minuta adest. Alæ posticæ supra caeruleæ, intra marginem exteriorem fasciam obscure violaceam, et inter illam et marginem, tenuissime nigrum, lineam pallide caeruleam, antice evanescentem gerunt. Angulus ani fulvescens, punctis 2 nigris, plus minus sordide argenteis notatus. Caudæ nigræ, basi fulvæ, apice albæ. Alæ omnes infra albescente-flavidæ, maculis baseos ejusdem coloris plurimis difformibus, late nigro-marginatis notatæ; extra has maculas fascia occurrit nigro-limbata, quæ per medium linea argentea notatur; hæc fascia, fundo concolor, in alis posticis prope angulum ani valde angulata et ibi interrupta; extra hanc fasciam fascia altera ejusdem coloris, sed in alis posticis ad costam 5:tam desinens, tenet locum. Ad marginem anticum alarum anticarum adsunt signaturæ 3, fasciis concolores, quarum intermedia fasciolam, inter costas 3—4 desinentem, et reliquæ maculas in margine ipso constituunt. Intra marginem externum lineæ 2 parallelæ observantur, quæ in alis anticis sunt nigræ, sed in posticis fuscæ; linea tamen illa externa alarum posticarum versus angulum ani evanescens, et interna ibi late fulva et sordide argentea, linea illa interna alarum anticarum e macula jam descripta oritur. Angulus ani ut supra puncta 2 nigra, sed majora gerit. Margo ipse exterior alarum omnium linea nigra notatur.

Femina mari similis, sed alæ anticæ maculam quadratam fulvam in cellula, et maculam alteram majorem ejusdem coloris et antice profunde bifidam extra cellulam supra gerunt. Alæ anticæ macula, e qua linea externa intramarginalis in pagina inferiore oritur, plane carent.

Gen. ZERYTHIS. Boisd.

1. *Z? basuta* n. sp. alis integris, supra fuscis, maculis albis, apud marem minus distinctis, punctisque nigris, apud feminam confluentibus, infra griseis, anticis disco plus minus albidis, nigro-maculatis, posticis annulis obsoletis obscurioribus. ♂ ♀. Long. al. exp. 35 millim.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Descr. Novum genus hæc species forte constitueret; antennæ sat crassæ, clavam nullam constituunt; alæ integræ, minime denticulatæ; alæ anticæ apice subacutæ; palpi porrecti, elongati, squamati; corpus crassum; costa 7:ma alarum anticarum biramosa.

Mas. Alæ omnes supra fuscæ; anticæ gerunt maculam nigram in cellula ipsa, alteram ad costulam transversam cellulæ et tertiam extra cellulam inter costas 4—6, quæ ab altera per maculam albam disjungitur. Pone cellulam maculæ nonnullæ nigræ inter costas 1—2 etiam adsunt. Extra cellulam maculæ 6 albidæ transversim et arcuate seriatæ inter costas observantur. Alæ posticæ fere unicolores, tantum vestigium macularum albidarum obsoletissime hinc inde ostendunt. Alæ infra pallide grisescentes, anticæ in disco albescentes et ibi punctis nigris notatæ; puncta illa majora sunt sine ordine sparsa, sed extra cellulam series transversa punctorum 7—8 minorum et versus marginem series altera sed obsoletissima observantur. Alæ posticæ annulos permultos, fundo fere concolores, sed obscuriores gerunt; annuli illi ad basin sparsi, sed extra cellulam biseriati; series externa versus marginem anticum abrupto-interrupta. Versus marginem exteriorem series punctorum fuscorum obsoletissimorum observatur. Cilia fuscescentia.

Femina mari similis, sed maculæ alarum anticarum supra albidiores et distinctæ, et maculæ nigræ omnino confluentes, maculam unicam irregularem constituentes. Alæ posticæ supra in disco albescentes, macula discoidali maculisque extra cellulam transverse seriatis, nigrescentibus notatæ. Alæ posticæ in pagina inferiore tantum annulum in disco et seriem annulorum unicam extra cellulam abrupto-interruptam gerunt. Annuli illi majores et obscuriores.

Gen. TINGRA. Boisd.

1. *T. tropicalis* (Boisd.): alis utrinque ochraceo-flavis, supra puncto discoidali nigro; anticis punctis minutissimis sparsis margineque exteriore late fuscis, postice maculato; infra atomis punctisque nigris sparsis.

Tingra tropicalis Boisd. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 589. 46.

Var. alis anticis supra ochraceo-flavis margine concolore, puncto omnium discoidali fusco.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Ad Portum Natal. Delegorgue.

Varietas a typo non discrepat nisi margine exteriore alarum anticarum absque colore fusco. Sexum nescio, quoniam abdomen specimini unico deest.

II. Fam. Hesperioidæ.

Gen. HETEROPTERUS. (Dum.) Dup.

(*Steropes.* Boisd.)

1. *H. metis* (Lin.): alis anticis utrinque posticisque supra nigro-fuscis, ad basin flavo-atomatis, maculis fulvis anticarum sparsis, posticarum biseriatis; posticis infra fusco-brunneis, immaculatis; ciliis fuscis, in angulo anali posticarum flavis.

Papilio metis Lin. S. N. 2. 792. 245. Cram. Uitl. Kap. t. 162. fig. G.
Hesperia metis Fabr. E. S. III. 1. 329. Latr. Encycl. Meth. IX. 776. 129.
Steropes metis Boisd. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 594. 94.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Ad Portum Natal. Delegorgue.

2. *H. willemi* n. sp. alis supra nigro-fuscis, posticis immaculatis, sed anticis maculis marginalibus maculisque discoidalibus extra cellulam seriatis, albidis; posticis infra flavo-albidis costis arcubusque per paria biseriatis fuscis; ciliis fuscis. ♂. Long. al. exp. 32 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Forma alarum priori, sed *H. aracintho* FABR. colore affinis. Corpus supra nigrum. Abdomen cum pedibus ut in *H. aracintho.* Palpi cum fronte flavescente-pilosi. Vertex niger puncto fulvo ad basin antennarum. Alæ omnes supra nigro-fuscæ; posticæ immaculatæ, sed alæ anticæ seriem macularum ovato-elongatarum, flavescente-albidarum prope marginem exteriorem gerunt; intra hanc seriem altera ejusdem coloris fere ut in *H. aracintho* extra cellulam adest, sed maculæ ejus distinctiores. Alæ anticæ sunt infra nigro-fuscæ, inter costam 12 et marginem anticum, præsertim versus basin, flavescente-albido-notatæ; in ipso margine externo maculæ flavescente-albidæ inter costas adsunt, quarum apicales elongatæ, reliquæ tamen ovato-rotundatæ et postice sensim evanescentes, ut vestigium haud ullum in angulo postico alarum reliquerunt. Inter costas 8—10 ad marginem anticum lineolæ ejusdem coloris adsunt duæ, et in disco alarum inter costas 6—9 maculæ minutæ 3, subquadratæ observantur. Alæ posticæ infra flavescente-albidæ, costis sat late et seriebus 2 arcuum transversis duplicatis fuscis notatæ, ut color fundi in maculas difformes albas divisus. Ad marginem internum sunt alæ posticæ late nigro-fuscæ, sed margo ille ipse flavescente-albus. Cilia utrinque fusca.

RHOPALOCAMPTA. n. gen.

(*Thymele.* BOISD.)

Antennæ versus apicem crassiores, sed deinde sensim attenuatæ, acuminatæ, versus apicem valde arcuatæ, ut hamum longissimum constituent.

Palpi crassi, dense pilosi; pili marginales nonnihil longiores, ut palpi infra per medium sint quasi excavati. Articulus ultimus nudus, e pilositate reliquorum porrectus, plerumque nutans, plus minus elongatus.

Caput latum; frons et vertex dense et sat longe pilosi; fasciculus pilosus dependens infra antennas nullus.

Tibiæ pedum posticorum 4-calcaratæ, postice pilis sat longis atque densis instructæ. Coxæ pedum anticorum fasciculo distincto, in pilositate pectoris latente, carent.

Corpus crassum; abdomen alis posticis brevius, pilis, versus basin longioribus, infra instructum.

Alæ anticæ elongatæ, apice rotundato, supra ad basin pone cellulam pilosæ; margo interior vix arcuatim excisus; margo exterior integer. Alæ posticæ ad angulum ani productæ ut protuberantiam forment latam, rotundatam, sed brevem; supra in disco, ad basin et secundum marginem internum pilosæ. Cilia brevia. Cellula alarum anticarum simplex, elongata, ut supra partem bitrientalem alæ se extendat.

Costæ alarum posticarum ut in Gen. *Hesperia,* sed cellula plane aperta et plica inter costas 3—4 omnino nulla. Costæ alarum anticarum etiam ut in illo genere, sed costa 5 exacte in medio inter costas 4—6 et costæ 3—4 ad originem invicem valde remotæ. Intervallum basale inter costas 8 et 9 multo minus quam inter costas 9 et 10. Cellula costula transversa tenui clausa.

1. *Rh. florestan* (CRAM.) alis supra fuscis, posticis in disco et versus basin albescentibus; omnibus infra fuscis, posticis fascia interrupta, immaculata, alba; ciliis fuscis, sed ciliis protuberantiæ alarum posticarum fulvescentibus.

Papilio florestan CRAM. Uitl. Kap. t. 391.
Thymele florestan BOISD. Fn. de Madag. p. 61. Voy, de l'Afr. Austr p. Deleg. II. 594. 89.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG. DELEGORGUE.

2. *Rh. valmaran* n. sp. alis supra fuscis, posticis in disco et ad basin pallide fulvescente-pilosis; omnibus infra fuscis, posticis fascia interrupta alba, transverse nigro-trimaculata; ciliis fuscis, sed ciliis protuberantiæ alarum posticarum fulvis. Long. al. exp. 57 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Præcedenti simillima species. Alæ omnes supra fuscæ, pilis basalibus anticarum, basalibus discoidalibusque posticarum pallide-fulvescentibus. Alæ posticæ ad angulum ani utrinque sat late nigræ. Cilia omnium utrinque fusca apicibus pallidis sed ad protuberantiam alarum posticarum fulva et reliquis longiora. Alæ omnes infra fuscæ; anticæ ad marginem internum usque ad costam 2:dam omnino ut in præcedente albescentes, sed magis in flavedinem vergentes. Alæ posticæ fasciam albam transversam ut in specie præcedente gerunt, sed hæc fascia est ad marginem anticum gracilior et in medio disci latissima, nec conformis ut in specie illa; ad costam 7:mam est fascia illa interrupta, sed ibi macula magna elongata nigra notata; in limbo ejus externo maculæ minores duæ ejusdem coloris inter costas 4—6 observantur.

3. *Rh. keithloa* n. sp. alis supra fuscis, posticis ad basin et in disco fulvo-pilosis; omnibus infra fuscis, posticis macula magna biloba inter costas 6—7 alteraque in angulo ani fulvis; ciliis fuscis, sed ciliis protuberantiæ alarum posticarum fulvis. Long. al. exp. 56 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Præcedenti iterum similis, sed alæ supra obscuriores, posticæ fere nigræ. Pili alarum fulvi. Alæ omnes infra fuscæ, concolores; posticæ maculam magnam bilobam fulvam inter costas 6—7 gerunt; lobi hujus maculæ versus marginem internum se vertentes et colore nigro disjuncti; lobus internus antice nigro-limbatus et spatium inter lobum posticum et marginem externum etiam nigrum. In angulo anali macula fulva. Cilia omnino ut in specie præcedente.

Gen. HESPERIA. (LATR.) BOISD.

I. *Clava antennarum apice hamato l. recurvo.*

1. *H. fatuellus* (HPFR.) antennis apice hamato; alis supra nigricantibus, anticis striga media arcuata punctorum 6 vitreorum, posticis infra punctis 3 albidis, omnibus virescenti-fuscis, ciliis utrinque albescentibus. ♂.

Pamphila fatuellus HOPFFER. Monatsbericht d. Königl. Preuss. Acad. der Wiss. zu Berlin. 1855. Sept. Oct. p. 643. n. 25.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Obs. *H. borbonicæ* BOISD. (Fn. de Madag. p. 65) affinis et dispositio punctorum alarum anticarum eadem, sed puncta paginæ inferioris alarum posticarum alba, nec fusco-circumcincta.

2. *H. mohopaani* n. sp. antennis apice hamato; alis supra fuscis, anticis maculis duabus disci maculisque 8 extra cellulam albo-vitreis, arcuatim seriatis; posticis infra flavescente-griseis puncto discoidali punctisque 1—2 pone medium, minutissimis albis; ciliis albido-flavescentibus. ♀. Long. al. exp. 45 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Præcedenti affinis, at major. Alæ supra fuscæ, in nigredinem minime vergentes; anticæ maculas albo-hyalinas utrinque, ut sequitur, gerunt: in cellula maculas 2 approximatas, transverse locatas; extra cellulam seriem

seriem macularum, ut in congeneribus arcuatam. Maculæ 3 hujus seriei inter costas 6—9 omnino ut in præcedente sunt positæ ac formatæ; macula minuta rotundata, solitaria, inter costas 4—5, in linea recta cum prioribus locata; macula quadrangularis major inter costas 3—4; macula trapeziformis maxima inter costas 2—3 et mox pone illam macula punctiformis et minuta, subrotundata; ante costam 1:mam denique macula triangularis. Hæc macula cum macula punctiformi pone maculam trapeziformem utrinque est alba, vix vitrea. Alæ posticæ sunt versus marginem anticum et posticum supra obscuriores, et inter costas 3—4 punctum album minutissimum gerunt. Alæ anticæ sunt infra fuscæ, flavescente-subtinctæ, sed in disco nigrescentes et maculas vitreas ut in pagina superiore gerunt. Alæ posticæ infra flavescente-griseæ, puncto minutissimo albo in cellula notatæ, punctum alterum album inter costas 3—4, puncto paginæ superioris correspondentem, et interdum punctum ejusmodi inter costas 5—6 gerunt. Cilia alarum anticarum fuscescentia apicibus pallidis; posticarum albido-flavescentia. Margo exterior alarum posticarum, ut in specie præcedente, nonnihil sinuatus.

3. *H. Letterstedti* n. sp. antennis apice hamato; alis infra fusco-flavescentibus, maculis seriatis subquadratis flavis extra cellulam; posticis infra flavescentibus maculis obsoletis, elongatis inter costas 1—6 seriatis plagaque fuscescente ad marginem interiorem. Long. al. exp. 30 millim.

Mas: alis supra flavescente-fuscis, anticis maculis obsoletissimis, flavidis, 5 extra cellulam.

Femina: alis supra fuscis, anticis maculis extra cellulam seriatis, quadratis 8, albido-flavis, distinctissimis; posticis maculis seriatis, obsoletis.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Statura fere *H. sylvani*. *Mas:* alæ supra flavescente-fuscæ; posticæ omnino unicolores, sed anticæ maculas 3 inter costas 6—9 et maculas 2 inter costas 4—6 foras locatas, gerunt. Hæc maculæ sunt supra flavidæ, sed minutissimæ et haud distinguendæ; infra distinctiores et majores; ibi maculæ alteræ magnæ subquadratæ ejusdem coloris inter costas 2—3 observantur. Alæ anticæ de cetero infra fuscæ, præsertim ad marginem anticum flavescentes. Alæ posticæ infra flavescentes, inter costas 7—8 per totam longitudinem fuscescentes, flavedine haud tinctæ; in hoc colore macula indeterminata obscurior ad marginem externum adest. A costa 1 usque ad costam 6:tam maculæ coadunatæ oblongæ flavidæ, sed valde obsoletæ, extra cellulam in seriem arcuatam positæ; hæ maculæ extrorsum et interdum introrsum sunt obsoletissime fusco-limbatæ. Cilia alarum anticarum utrinque fusca; posticarum supra fusca, versus angulum ani albida, sed infra flavescentia. Margo exterior alarum posticarum modice sinuatus.

Femina pagina inferiore alarum mari simillima, sed maculæ alarum anticarum, maculis 2 inter costas 4—6 foras locatis exceptis, distinctiores et albescentes. In pagina superiore alarum anticarum maculæ omnes paginæ inferioris conspiciuntur albido-flavæ, distinctissimæ, et ante costam 1:mam macula flava adest trigona. In alis posticis etiam maculæ paginæ inferioris supra observantur, sed obsoletæ et indeterminatæ. Color paginæ superioris alarum omnium fuscus, flavedine haud tinctus. Cilia alarum anticarum fuscescentia, posticarum pallescentia.

4. *H. moritili* n. sp. antennis apice hamato; alis nigris, anticis supra in margine interno fasciola longitudinali flavescente, punctisque discoidalibus 8 albo-vitreis biseriatis; posticis supra fascia gracili maculata alba, antice abrupta; abdomine exserto, incisuris albis. ♀. Long. al. exp. 35 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Forma alarum fere ut in specie præcedente, sed alarum anticarum apex acutior. Abdomen sphingiforme, extra alas posticas expansas exsertum, incisuris albis, infra latioribus. Pectus griseseente-villosum, ante pedes anticos macula trigona coloris palporum. Palpi infra flavescente-albi. Corpus de cetero fusco-nigrum. Caput cum thorace ante alas longe exsertum. Alæ supra nigræ, fuscescentes. Alæ anticæ in pagina superiore a basi usque ad medium marginis interioris et in margine illo ipso fasciolam flavescentem, extrorsum latiorem, gerunt, et in cellula maculis 2 oblongo-ovatis, sat minutis, et mox pone illas extra cellulam macula majore lunata, omnibus albo-vitreis ornantur. Ante costam primam et ante finem fasciolæ marginis interni macula trigona minuta flavida. Hæ maculæ seriem, pone costam 2:dam interruptam constituunt. Inter cellulam et apicem adsunt puncta 4 quadrata, albo-vitrea, per paria sita, ut seriem inter costam 5—6 interruptam forment. Alæ posticæ seriem macularum

albarum extra cellulam inter costas 3—7 gerunt; maculæ ejus sunt minutæ, albæ, subquadratæ, atque costis tantum disjunctæ; macula inter costas 3—4 minima et fere solitaria. Alæ omnes sunt infra fuscæ, certo situ metallice subnitentes; anticæ tantum in disco nigræ. Hæ alæ maculas ut in pagina superiore gerunt, sed fasciola marginis interni plane carent. Alæ posticæ maculis fere ut in pagina superiore notantur, sed maculæ sunt magis disjunctæ, obsoletiores et minores atque in spatio canescente sitæ, ut minus distinguendæ; macula inter costas 6—7 tantum distincta atque maxima. Cilia fuscescentia, versus angulum ani albescentia. Margo exterior alarum posticarum modice sinuatus. Hæc species genus novum forsan constitueret.

II. *Clava antennarum recta, apice obtuso.*

5. *H. limpopona* n. sp. antennis apice obtuso; alis supra fuscis, anticis macula discoidali, macula gemina ante cellulam serieque maculata interrupta extra cellulam et puncto foras locato fulvescente-flavis; posticis supra maculis discoidalibus 2 fulvescente-flavis, infra obsoletioribus. ♂. Long. al. exp. 25 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Statura fere *H. actæonis,* sed margo exterior alarum posticarum minime sinuatus. Corpus supra fuscum; abdomen infra cum pectore griseo-flavum. Palpi flavescentes. Antennæ fuscæ; clava infra fulva. Alæ omnes supra fuscæ; anticæ maculam fulvescente-flavam, subrotundatam in cellula maculasque 2 per costam 10:mam disjunctas ante cellulam gerunt. Extra cellulam seriem macularum 6 fulvescente-flavarum haud arcuatam ostendunt, quarum maculæ 3 coadunatæ inter costas 6—9, maculæ 2 subquadrangulares inter costas 2—4 maculaque minuta obsoleta ante costam 1:mam sunt locatæ. Extra hanc seriem versus marginem exteriorem punctum flavescente-fulvum inter costas 5—6 locum tenet. In pagina inferiore adsunt maculæ eædem, excepta macula ante costam primam; sed alæ sunt in apice griseo-flavescentes, et ad marginem anticum a basi usque ad medium fulvescente-flavæ et ad finem cellulæ punctum minutum ejusdem coloris gerunt. Alæ posticæ maculas 2 fulvescente-flavas extra cellulam in pagina superiore habent, quarum antica est maxima, quadrangularis, inter costas 3—4 locata et per plicam, e cellula egredientem, obsoletissime divisa; altera ovata, inter costas 5—6 tenet locum. Ad marginem internum punctum ejusdem coloris interdum occurrit. In pagina inferiore sunt alæ posticæ griseo-flavescentes, haud virescentes, et macula ovato-rotundata, pallide flava, sat magna, sed indistincta in cellula ornatæ; de cetero maculis ut in pagina superiore notatæ, sed maculæ pallide flavæ et indistinctæ.

6. *H. lepenula* n. sp. antennis apice obtuso; anticis flavescente-fulvis fascia transversa fusca discoidali per maculam cum margine late fusco connexa; posticis fuscis macula maxima discoidali flavescente-fulva, ad finem cellulæ fusco-adumbrata; omnibus infra flavis. ♂. Long. al. exp. 30 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Forma alarum fere *H. commatis,* sed alæ anticæ acutiores et posticæ minime sinuatæ. Antennæ fuscæ. Palpi infra flavi, supra fusci. Caput flavescente-pilosum. Abdomen supra nigrum incisuris flavis, infra flavum. Pectus cum pedibus flavum. Alæ anticæ supra flavescente-fulvæ, et ad marginem exteriorem late fuscæ, ut fascia formetur, cujus limbus internus inter costas 1—4 denticulatus. Extra cellulam fascia irregularis fusca a margine antico usque ad costam 1:mam se extendit, quæ inter costas 4—6 per maculam elongatam fuscam cum colore fusco marginis exterioris cohærit, ut macula sat magna coloris fundi inter costas 6—9 prope apicem sejungatur. Hæc fascia inter costas 1—2 stylum brevem versus colorem marginis emittit. Alæ posticæ supra fuscæ macula maxima trigona flavescente-fulva discum totum inter costas 3—6 occupante et versus basin se extendente. Hæc macula ad finem cellulæ fuscedine adumbratur et limbus ejus posticus est denticulatus. Alæ omnes infra flavæ, fere ut in *H. lineola,* sed unicolores; anticæ tantum ad basin marginis interni fuscæ. Cilia alarum anticarum supra pallida, posticarum flava; omnia infra flava.

7. *H. mohozutza* n. sp. antennis — — — alis supra fuscescente nigris, maculis seriatis marginalibus omnium maculaque rotundata discoidali posticarum fulvis; anticis macula discoidali serieque maculata interrupta extra cellulam albis; posticis infra fulvis fascia valde arcuata helvola, introrsum et extrorsum nigro-punctata; ciliis flavidis, anticarum nigro-maculatis. ♀. Long. al. exp. 32 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Forma alarum fere *H. sylvani,* sed alæ posticæ haud sinuatæ. Antennæ nostri specimini desunt. Palpi flavi. Caput nigrum maculis flavescentibus. Abdomen supra nigrum incisuris fulvis, infra fulvum maculis ventralibus nigris, obsoletioribus. Alæ supra fuscescente-nigræ, serie communi macularum fulvarum, ovatarum ad marginem exteriorem; macula rotundata ejusdem coloris, sat magna in cellula alarum posticarum observatur. Alæ anticæ maculam transversam, rectangularem in cellula et maculas 6 seriatas extra cellulam gerunt. Hæ maculæ sunt albæ, in flavedinem haud vergentes, et maculæ seriei, ut sequitur, locatæ: maculæ 3 coadunatæ inter costas 6—9; macula minor subquadrata inter costas 3—4; macula omnium maxima, inter costas 2—3, mox pone cellulam; macula denique minuta, subovata mox ante costam 1:mam. Alæ anticæ infra nigrescentes, ad marginem anticum, præsertim versus basin, et ad apicem usque ad costas 1—2, late fulvæ, maculis albis ut in pagina superiore notatæ; inter maculam cellulæ et seriem macularum extra cellulam macula indeterminata et obsoleta fulvescens tenet locum. Alæ posticæ infra fulvæ, in margine interno late fuscescentes. Fascia helvola valde arcuata, ad basin inter costam 1:mam et truncum communem superiorem incipit et extra cellulam usque ad costam 7:mam se extendit. Hæc fascia punctis 2 versus basin et deinde in termino et interno et externo punctis plurimis nigris ornatur. In cellula macula subquadrata adest nigra. Margo exterior alarum omnium linea nigra notatus. Cilia alarum flavescentia nigro-maculata, posticarum immaculata.

CAPRONA. n. gen.

Antennæ breviores, clava distincta, subpyriformi, æqualiter crassa, obtusa, reflexa.

Palpi crassi, squamato-pilosi, subcompressi; articulus ultimus brevissimus, latus, obtusus.

Caput latum, magnum, fasciculo pendente ordinario sub antennis.

Corpus crassum; thorax latus. elongatus, longitudini abdominis fere æqualis. Abdomen alis posticis expansis multo brevius. Coxæ pedum anticorum (saltem in mare) fasciculo ex pilis longissimis, adpresso et in rima pilositatis pectoralis occulto, instructæ. Tibiæ posticæ 4-calcaratæ.

Alæ anticæ in margine interno valde arcuatim excisæ, ut angulus earum posticus fere sit lobiformis. Margo earum anticus fere rectus, ad basin vix arcuatus. Margo exterior inter costas 1—2 obsoletissime sinuatus. Apex subacutus. Margo exterior alarum posticarum inter costas 4—6 distincte et iterum inter costas 2—3 obsolete angulatus. Angulus analis rotundatus, subproductus. Alæ posticæ sunt supra ad marginem internum pilis longissimis et in disco pilis rarioribus vestitæ; infra brevius pilosæ. Cellula alarum anticarum simplex.

Costæ alarum anticarum ut in genere præcedente, sed costa 5:ta in medio inter costas 4—6 sita et cellula plica tenui clausa. Cellula alarum posticarum plica crassa clausa, plicam alteram crassam versus marginem loco costæ emittens. Intervallum basale inter costas 8—9 alarum anticarum multo minus, quam inter costas 9—10.

1. *C. pillaana* n. sp. alis supra grisescente-cinereis, anticis fascia discoidali interrupta, puncto inter costas 3—4, maculaque obliqua inter costas 6—10 vitreis; posticis supra ad marginem exteriorem ferrugineo-tinctis, fascia discoidali obsoleta pallida, cinereo-notata; posticis infra flavescente-albis, fascia obsoleta intramarginali cinerea. Long. al. exp. circit. 40 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Antennæ cinereæ, clava fusca. Corpus totum supra grisescente-cinereum, infra cum palpis flavescente-album. Fasciculus coxarum anticarum niger. Alæ supra grisescente-cinereæ; anticæ fasciam rectam transversam pone discum gerunt. Hæc fascia a margine antico ad truncum costarum superiorem est flavescente-albida, haud pellucida, sed a trunco nominato usque ad costam 2:dam vitrea, extrorsum bidentata et ibi tenue nigro-

limbata, atque inter costas 1—2 interrupta, ut tantum macula ovata, sat minuta, antice tenue nigro-limbata, mox ante costam 1:mam, et ante hanc maculam punctum obsoletissimum adsunt. Inter costas 3—4 (in ipsa connexione earum) punctum ovatum vitreum adest, et inter costas 1—4 maculæ brunnescente-fuscæ extra fasciam observantur. In margine antico macula obliqua vitrea, per costas 6—9 divisa, in medio inter fasciam discoidalem et apicem alæ tenet locum, et extra illam macula altera brunnescente-fuscescens, indeterminata, usque ad costam 4:tam se extendit; in apice alarum macula altera ejusmodi, sed minor, occurrit. Margo exterior fasciam obsoletam pallidam gerit. Alæ posticæ ad basin fuscescentes, et ad marginem exteriorem intra strigam pallidam ferrugineo-tinctæ. Fascia ante discum lata pallida subpellucida, a costa 1 usque ad costam 7 se extendit. Hæc fascia in cellula macula lineari cinerea, ad costam 1:mam macula rotundata et ad costam 7:mam macula ejusmodi notatur, sed maculæ hæ 2 cum colore fundi cohærent. Alæ anticæ infra flavido-albescentes maculis fasciaque vitreis ut in pagina superiore, sed ad apicem macula rotundata ferruginea et ad angulum posticum macula magna diffusa ejusdem coloris notantur. Fascia marginalis pallida etiam adest. Alæ posticæ infra flavescente-albæ, fascia obsoleta, sed sat lata cinerea intra strigam coloris fundi marginalem; ante fasciam arcus obsoletissimi, gracillimi, cinerascentes observantur. Cilia brevia, coloris fundi; alarum anticarum supra ad exitum costarum obsolete fusco-punctata.

LEUCOCHITONEA. n. gen.

Antennæ breviores, versus apicem in clavam fusiformem indeterminatam, modice curvatam, obtusam transeuntes.

Palpi crassi, squamato-pilosi, infra versus apicem planiusculi; articulus ultimus brevis, e pilositate reliquorum vix exsertus, obtusus.

Caput thorace multo gracilius, fasciculo pendente ordinario sub antennis instructum, supra brevius pilosum.

Tibiæ pedum omnium nudæ; posticorum 4-calcaratæ. Coxæ pedum anticorum fasciculo ut in genere præcedente instructæ.

Corpus crassiusculum; thorax longitudine abdominis brevior. Abdomen alis posticis expansis brevius.

Alæ anticæ in margine interno haud arcuatim excisæ, fere rectæ. Margo anticus rectus, ad basin modice arcuatus. Margo exterior integer. Apex subrotundatus. Alæ posticæ rotundatæ, integræ. Cellula alarum anticarum simplex.

Costæ et cellula alarum omnino ut in genere præcedente.

1. *L. levubu* n. sp. alis albis; anticis apice nigro, maculis 6 difformibus albis notato, margineque exteriore nigro, albo-maculato; posticis margine exteriore nigro, maculis albis ad basin ciliorum notato, infra macula submarginali baseos, exituque costarum ad angulum ani nigris. ♂. Long. al. exp. circit. 40 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. *L. niveo* (CRAM. tab. 22.) affinis. Antennæ nigræ. Palpi albi, supra cum articulo toto ultimo nigri. Caput nigrum maculis albis. Thorax antice in humeris fulvescens. Abdomen album, linea dorsali nigra. Tarsi nigri. Tibiæ pedum posticorum et intermediorum albæ, anticorum nigræ macula albida obsoleta. Femora nigra, pedum posticorum et intermediorum versus insertionem tibiarum infra alba. Fasciculus coxarum anticarum niger. Pectus album, lateribus fulvescentibus. Alæ omnes supra albæ, in flavedinem obsolete vergentes. Anticæ ad marginem anticum et intimam basin nigræ. Apex earum cum margine exteriore etiam niger. In margine illo series macularum rotundatarum albarum a costa 1:ma usque ad marginem anticum se extendit. In apice h. e inter costas 4—10 occurrunt maculæ elongatæ albæ, difformes, per costas illas nigras inter se disjunctæ, et introrsum colore apicis nigro, ibi fasciæformi, limbatæ. Exitus costarum 1—4 niger. Alæ posticæ supra ad marginem exteriorem tenuius, sed versus angulum ani latius nigræ; costa 7:ma tota et costæ 3—6 versus marginem nigræ. Alæ omnes infra omnino ut in pagina superiore coloratæ; sed margo internus cum costis 7—8 totis, alarum posticarum niger; costæ 4—6 earundem alarum cum plica inter costas 6—7 versus marginem latius nigræ quam in pagina superiore, et ad costam primam macula magna nigra versus basin adest. Cilia alarum

utrinque nigra, maculis basalibus albis; hæ maculæ in pagina superiore alarum anticarum obsoletiores. Cilia ad angulum ani utrinque tota alba.

Gen. SYRICHTUS. Boisd.

1. *S. vindex* (Cram.) alis supra nigrescente-fuscis, serie communi punctata intramarginali alba; anticis supra maculis majoribus difformibus albis, in disco sparsis; posticis supra puncto baseos maculaque maxima transversa disci albis; anticis infra fuscis, obsolete virescentes, margine antico albicante maculisque albis discoidalibus; posticis subvirescentibus costis concoloribus, fasciis 2 transversis maculatis albis (basali subobsoleta, discoidali macula fundi inter costas 6—7 notata) margineque interno late albo, immaculato. ♀.

Papilio vindex Cram. Uitl. Kap. tab. 253. fig. G. H.
Hesperia vindex God. Encycl. Meth. IX. 785. 148.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

PTERYGOSPIDEA. n. gen.

Antennæ breviores, in clavam indeterminatam, fusiformem, arcuatam transeuntes. Clava in apice attenuata.

Palpi crassi, squamato-pilosi, subcompressi; articulus ultimus brevissimus, conicus, nudus.

Caput thorace gracilius, fasciculo pendente ordinario sub antennis instructum, supra deplanato-pilosum, crista transversa inter antennas.

Tibiæ pedum omnium pilosæ, posticorum præsertim apud marem pilis longis lateraliter instructæ. Calcaria pedum posticorum 4. Coxæ fasciculo carent.

Corpus crassiusculum; thorax longitudine abdominis brevior; abdomen alis posticis expansis brevius.

Alæ amplæ rotundatæ; anticæ in margine interno rectæ; margo anticus modice arcuatus. Cellula alarum anticarum simplex.

Costæ alarum ut in genere *Syrichto*.

I. *Margo exterior alarum posticarum integer.*

1. *P. ophion* (Stoll.) alis supra griseo-fuscis, anticis serie macularum transversa discoidali maculisque minutis subapicalibus vitreis; posticis supra serie transversa punctata et maculata nigra, infra spatio longitudinali maximo albo serieque punctorum nigrorum.

Papilio ophion Stoll. Suppl. ad Cram. Uitl. Kap. tab. 26. fig. 4.
Thymele ophion Boisd. Fn. de Madag. p. 62. Voy. de l'Afr. Austr. par Deleg. II. 594. n. 91.

Hab. in Caffraria. Wahlberg. Delegorgue.

2. *P. motozi* n. sp. alis supra griseo-fuscis, anticis supra maculis discoidalibus difformibus 4 maculisque subapicalibus coadunatis albo-vitreis; posticis supra puncto baseos maculaque disci albido-vitreis, infra maculis indeterminatis fulvidis numerosis. ♂. Long. al. exp. circit. 35 millim.

Hab. in Caffraria. Wahlberg.

Descr. Præcedenti affinis ejusque statura. Alæ omnes supra griseo-fuscæ; anticæ maculas 4 subquadratas, subapicales, vitreas, inter costas 6—10, omnino ut in specie præcedente gerunt, sed in cellula tantum macula unica maxima, introrsum recta, extrorsum angulata et ante illam, extra cellulam, macula altera minuta adsunt. Pone cellulam macula quadrata inter costas 3—4 et pone hanc macula altera inter costas 2—3, sed adhuc major. Hæ maculæ omnes sunt albo-vitreæ. Versus basin puncta 2 obsoleta nigra inter costas 1—2 observantur. Alæ posticæ tantum maculam subrotundam, sed sat magnam vitream in cellula et prope basin punctum vitreum habent. Alæ anticæ sunt infra ut in pagina superiore coloratæ et signatæ, sed color fundi est obscurior, versus basin flavedine obductus, et versus marginem exteriorem strigam macularum indeterminatarum fulvidarum, antice evanescentium, ostendunt. Alæ posticæ sunt etiam in pagina inferiore ut supra signatæ, sed color fundi flavescens et maculas sparsas, numerosas, fulvidas gerit. Margo tantum interior unicolor, griseo-fuscescens.

3. *P. mokeezi* n. sp. alis utrinque obscure fuscis, anticis fasciis 2 obliquis flavescente-vitreis, discoidali irregulari, apicali conformi; posticis macula disci flavescente-vitrea, infra pone medium maculis seriatis et versus basin puncto flavescentibus, obsoletissimis. ♀. Long. al. exp. 45 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Corpus obscure fuscum. Palpi infra cum macula elongata pectoris flavi. Alæ supra obscure fuscæ, basi margineque interiore omnium, et margine exteriore posticarum late fulvido-atomatis. Color paginæ inferioris alarum omnium obscurior, minime fulvido-atomatus. Alæ anticæ utrinque fascias 2 flavescente-vitreas gerunt, alteram supra discum, alteram versus apicem. Fascia illa obliqua e maculis 4 quasi formata, irregularis, lata; hæc quidem obliqua et parallela, sed brevior, gracilior et per totam longitudinem conformis, inter costas 4—10 locata. Macula postica fasciæ discoidalis inter costas 1—2 transverse locata, gracilis, cum macula magna rectangulata inter costas 2—3 oblique posita, cohærit; hæc macula cum altera cellulari per angulum suum internum est connexa; macula cellularis, priore haud minor, trapeziformis cum macula altera, æque lata, ante cellulam posita, cohærit, quæ macula tantum infra in marginem anticum excurrit. Margo interior alarum anticarum est infra flavescens, et hic color cum fascia discoidali connectitur. Alæ posticæ maculam discoidalem flavo-vitream sat magnam utrinque gerunt, sed extra illam maculæ seriatæ obsoletissimæ, flavescentes et intra illam punctum obsoletissimum ejusdem coloris tantum in pagina inferiore observantur.

4. *P. nottoana* n. sp. alis supra nigricantibus, anticis supra macula discoidali, maculisque seriatis extra cellulam obsoletissimis atris, punctisque 2 subapicalibus utrinque albo-vitreis; omnibus infra brunnescentibus, posticis serie punctorum obsoletiorum nigrorum. ♂. Long. al. exp. 36 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Corpus nigro-fuscum. Palpi infra fulvidi. Pedes flavescentes; pili eorum fusci. Alarum anticarum apex acutior quam apud species præcedentes. Color alarum supra obscure nigrescens, posticarum obscurior; infra brunnescente-fuscus. In cellula paginæ superioris alarum anticarum macula indeterminata, obsoleta nigra, et extra cellulam series maculata transversa ejusmodi observantur. Versus apicem (inter costas 7—9) puncta 2 minuta, albo-vitrea utrinque adsunt. Alæ posticæ maculam ad finem cellulæ nigram, alteram inter costas 1—2, et deinde series punctorum ejusmodi extra cellulam in pagina inferiore gerunt.

II. *Margo exterior alarum posticarum inter costas 3—4 emarginatus.*

5. *P. djælælæ* n. sp. alis supra nigricantibus signaturis atris, anticis maculis minutis 5 discoidalibus, punctisque 3 subapicalibus albo-vitreis; omnibus infra rubro-fulvis, posticis striis 2 transversis fuscis. ♂. Long. al. exp. 30 millim.

Hab. in Caffraria. WAHLBERG.

Descr. Corpus supra nigrum, infra fuscum. Palpi infra fulvescentes. Pedes antici interdum albescentes. Alæ anticæ inter costas 1—2 obsolete, sed posticæ inter costas 3—4 margine exteriore profunde emarginatæ.

Alæ supra nigricantes, atomis rarioribus sparsis griseis, signaturis hinc inde obscurioribus (atris) confusis ac indeterminatis. Alæ anticæ maculas albo-vitreas minutas in disco, ut sequitur, utrinque gerunt: maculam punctiformem inter costas 11—12 ante cellulam; mox pone illam in cellula ipsa maculam minutam, trigonam, interdum subnullam; prope angulum posticum cellulæ, punctum rotundatum inter costas 3—4; intra illum, sed inter costas 2—3 maculam transverse-elongatam, gracilem, omnium maximam et mox pone illam et costam 2:dam lineolam brevem. Versus apicem puncta 3 albo-vitrea, inter costas 6—9 adsunt. Alæ omnes infra rubro-fulvescentes, fuscedine plus minus tinctæ. Alæ anticæ maculas vitreas tam discoidales, quam subapicales plus minus fusco-marginatas, ad finem cellulæ lineolam et maculas 2 approximatas mox pone maculas vitreas subapicales gerunt. Alæ posticæ strigas duas, undulatas, fuscas, ad costam 2:dam interruptas in disco habent. Cilia supra nigrescentia, infra fuscescentia.